BARTHOLOMÆI TORTOLETTI

AGRIPPINA MAIOR

Tragœdia.



ROMÆ
Excudebat Ludouicus Grignanus.
cIↄ Iↄc xxxix.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

BERNARDINO

S. R. E.

CARDINALI SPADÆ.

BARTHOLOMAEVS TORTOLETTVS. F.

TRAGOEDIAM dedit Principibus Antiquitas vitæ magistrā, quorum potissimū in ancipiti est felicitas cōstituta; malis quidèm vt timeant, & resipiscant; bonis, vt pergant, & virtutibus augeantur. In Agrippina mea terror, miseratio, præceptiones à personis, ab euentu vberrimè suppetunt; nihil à meo ingenio, quod

nullum eſt. Porrò magnis Proceribus, quæcunque idonea ſunt, ipſa eorum ſapientia dictat; Tibi præſertim, BERNARDINE CARD. SPADA, Princeps optime, cuius regnum ſapientia eſt. Hanc autèm dò tibi, non ad vtilitatem tuam, qua non eges; non ad voluptatem, qua eadem caret; ſed ad obſequium meum. Teſtis illa apud te erit perpetui ſtudij ergà te mei, & gratiſsimæ voluntatis, illius quidèm inter procellas humanorũ fluctuum ſub Fortunæ tyrannide verſantis, vt vulgato more loquar, tuo tamen præſidio nitentis. Tu ſuſcipe miſeram, qua pietate miſeros ſoles. Vale.

Romæ XIII. Kal. Octob. CIↃ IↃC XXXIX.



Vade alacris, mea progenies, tutabitur Ensis
Triplex: in triplici est plurima vis numero.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Magistro Sac.Pal.Apost.

I.B.Alterius Episc.Cam. Vicesg.

APPROBATIO OPERIS.

AGrippinam Tragœdiam, à D. Bartholomæo Tortoletto V.C. ad excellentis ingenij lumen, Reuerēdissimi Patris Sacri Apostolici Palatij Magistri authoritate perlegi: nec quidquam in ea catholicæ veritati aduersum offendi; Imò verò tanti Authoris, de grauioribus Musis optimè meriti, emendatricem vitæ poësim, claris pictam coloribus demiratus, Tragici carminis laurea, post Euripidem, ac Senecam, ipsum in primis dignum existimaui. Quapropter in Principum, ac cæterorum, qui in magnis Aulis versantur, commodum, ad Tragicos exitus euitandos, publica luce donandam censeo. Romæ die 23. Septembris 1639.

elaboratam

Fr.Gregorius Donatus Ord.Præd.S.Theol.Mag.
Pro S.D.N. Examinator Episcoporum.

Imprimatur.

Fr.Reginaldus Lucarinus Mag.Reuerendiss. P.Fr.Vincentij de Florentiola S.Pal.Apost. Mag.Socius Ord.Præd.

AD

AD LECTOREM

IN AGRIPPINAM TRAGOEDIAM

AVCTORIS PRAEFATIO.

TRAGOEDIAM meam, cui AGRIPPINÆ inſcriptio eſt,cum nihil minùs,quam de ea cogitarem, tùm inchoaui, tùm celeritèr abſolui. Ex quo ſatis nauitèr cognoui volũtatis noſtræ poteſtatem habere nos quidèm phyſicè (vt Lycæo familiaribus verbis vtar) moralitèr autèm, ſiuè politicè ſecùs eſſe: ea enim plerumquè accidunt, quæ mutare ſententiam iubeant,ſiuè rem tuam cures, ſiuè dignitatem. Argumentum abhinc annis pluribus à me exercitationis, atque animi gratia inuentũ Vindicatæ Iudithæ meæ, orta occaſione, inſerui. Non defuere,qui voluiſſent in Scenam deduci. At deterritus multiplici,quæ occurrebat,difficultate, nequè otij potens

abſtinui. Ad maieſtatem tamèn Heroici carminis tră̄ſtuli, & duobus libris expreſſi, qui in noſtris Heroicotragicis cōprehenduntur, & Commĕtario triplici muniuntur. Cum autèm ineunte vere ſuperioris anni ſexcenteſimi trigeſimi octaui ſuprà milleſimum de Tragœdia Latinis numeris committenda, nec non teatro exponenda in Academia noſtra mĕtio incidiſſet, mox deliberatio, demum decretum, in Agrippinam meam votis cōmunibus Viri clariſſimi coiere, in quam ſuum ſinguli, quaſi ingenij ſymbolum ferrent, ac ſuam quiſq; partem elaboraret, expoliretquè. Itaquè prioribus, non ſine ingĕti labore, incommodis ſuperatis, actionem diſpoſui, & ſua cuiquè rei loca diſtribui. Vbi manum ſarcinæ admoui, continuò intellexi totum mihi onus ſubeundum, & ferendum eſſe: nequè enim aut introſpicere Auctoris conſilia exploratiùs quiſquam poteſt, aut aptiùs telam contexere, quàm idem, qui orſus eſt. Eò autèm certiùs expertus ſum

ad

ad me prouinciam huiuſmodi pertinere, quoniam procedente opificio mihi idem vſu venit, quod Architectis in ædificando, quibus multa, vel addere, vel demere, vel immutare in cæmento neceſſe eſt, quæ in papyro præclara videbantur: plura quippè vidi, proùt in compendiario rei exemplo, quamquàm ſedulò, diſpoſuerã, nullo modo conſtare poſſe. Porrò quem laborem in veſtibulo æſtatis ſuſcepi, eundem cadente Autumno perfeci, & Parnaſium montem ad captandas per æſtum mitiores auras prò ſeceſſu habui.

Hactenùs de cõſilio, & cauſa ſcribendi: nunc de Tragœdia ipſa nonnulla diſſerere non omittam, quæ idonea in primis iudico, ne quid temerè feciſſe videar. In fabula commodè conſtituenda locorum, ac temporum nonnullas vſurpauimus mutationes. Agrippina enim, & liberi non Romæ omnes, nequè vna die perierunt. Et Tiberius iam Capreis latebat, vndè nunquàm poſteà referre pedem in Vrbem ſuſtinuit.

Nequè

Nequè ab Seiano abeſt Anacroniſmus ; quem ante Agrippinę interitum ſupplicio affectum plerique putant. Quæ res ſi reprehenſione dignę quibuſdam Criticis videantur, eæ verò nullum mihi negotium faceſſunt, cum Poëtam conſidero, in cuius poteſtate ſitum eſt multa eiuſmodi arbitratu ſuo inuertere, quippè qui veriſimile, non verum requirit, quemadmodùm tùm in Iudithæ meæ Vindicijs, tùm in Commentario Poëtico ad duos Agrippinæ libros, quorum initio mentionem habui, ex probatiſſimis Auctoribus latiùs oſtendi; ſatiſquè eſt eos omnes ira Tiberij abſumptos eſſe. Itaquè vniuerſa hìc ſunt ad terrorem, miſerationemquè compoſita luculentèr, quæ potiſſimum affectiones animorum duæ in Tragœdia, legiſlatore Ariſtotele, repurgantur.

Nequè obijciat aliquis ex vi legũ Philoſophi eiuſdem Agrippinam eſſe meliorem, quàm vt idonea ſit perſonæ Tragicæ ſuſtinendæ, qua de re mihi pluribus iam

locis

locis diſputare neceſſe fuit; nam Peripateticum medium illud inter bonum, malumquè ea ratione interpretandum videtur ſanioribus, mea ſententia, iudicijs, vt nequè illa ſanctitate emineat, nequè ſcelere prematur; ſed in ea mediocritate poſita ſit, quæ hominum generi communior leuibus culpis tenetur, & cauſam aperit infortunio, dum peccat imprudens. Etenim quod Oedipi ſcelus, qui & parricidio, & incœſtis nuptijs ſe ſe polluerat inſciētèr? an non licet iure naturæ vim vi repellere? an nefas eſt vxorem ducere, quam tibi ignores eſſe parentem? At ille tamèn perſonæ Tragicæ Ariſtoteli exemplum eſt, nequè per innocentiam viri mediocritas labefactatur. Idem porrò de Agrippina cenſendum eſt, quæ mediæ fœmina probitatis liberos ad lanienam prodit imprudens; atquè ex huiuſmodi imprudentia atrox cum agnitione oritur peripetia.

Quod autèm ad diuiſionem pertinet in Scenas, & Actus, nunquàm illa mihi (quod

exo-

exorata ab Seneca, & recentioribus venia dictum ſit) in Tragœdia probari potuit; quippè quæ, niſi mea me fallit opinio, ad Hiſtrionem pertinet, non ad Poëtam. Quocircà omiſi more Græcorum, & quorundam itèm Latinorum, qui nouiſſimis hiſce temporibus ſcripſerunt; inter quos eminet elegantia dicendi, induſtriaq; Buchananus, nũquam ſatis laudandus, niſi de religione obliquè ſenſiſſet. Extat quoq; inſignis Tragędia Progne ab Academia Veneta, cum maximè floreret, in lucem prolata, quæ ab omni eiuſmodi diſtinctione abhorret. Imò verò noſtri etiã, qui Tragœdias Hetruſco metro dictarunt, quos nimirùm melior ſentẽtia complexa eſt, eam penitùs abiecerunt. Id in Sophonisba Triſsinus fecit; qui Tragicum primus cothurnum ad noſtrates Muſas aptè traiecit. Id Pomponius Taurellus Comes, qui ſplendorem clariſsimi generis monumentis ingenij ſanè præclaris, & inter illa Tragœdijs aliquot locupletauit. Hunc au-

tem

tem memini mecum vnà frequentiùs olim Parmæ differentem valdè Senecæ hoc nomine ſuccenſere ſolitum, qui ab Sophocle, Euripideq; maximis extrà omnem aleam magiſtris defecerit, & ſua vi nixus eorum detrita curriculo ſtadia neglexerit. Ego verò cum veterum veſtigijs inſiſto, tum profectò inoffenſo pede procedere mihi videor. Quid autèm in cauſa fuerit, cur tanti viri diſtinctionem huiuſmodi omnẽ in Tragędia repudiauerint, id eſſe arbitror, vt nimirùm vnitatem fabulæ tãtoperè neceſſariam perpetua, nequè interrupta dicendi seriè ſequerentur, & corpus animæ quàm aptiſsimè necteretur, quaſi præuiderint futuros eſſe, qui pleraquè inania Tragœdiæ ambitioſiùs commiſceant, quæ vnitatem fabulæ labefactant.

Cæterùm haud facilè animum induxi meum, vt Latino ſermone in Agrippina Tragœdia vterer, quam, ſi mihi aliquandò ſcribenda foret, Hetruſcæ linguæ cálamo, ſiuè ſpe quadam melioris loci, ſiuè in

vſum

vsum nationis Italicæ destinaueră; tametsì per vniuersas ferè prouincias Christiani nominis Latina locutio latissimè pateat, & prona quadam genij mei voluptate mihi præ cæteris probetur.

Reliquum est, vt quoniam in Ethnicas superstitiones rerum, vocumquè vbiquè hic incides, amice Lector, te paucis admoneam, vt animo repetas omnes, quæcunquè in hac Tragœdia inducuntur, Ethnicas, & Idolis addictas esse personas, quas à suis moribus abesse minimè est æquum. Itaquè non modò nullum ponimus offendiculum, sed egregium præbemus exemplum, qui à Deo alieni sunt, ijs perquàm facilè atrocia contingere.

Hæc præfari operæ pretium existimaui, quæ tibi ad Agrippinam meam non inutilitèr accessum aperiant; nequè pœnitebit, si rata, grataquè habueris. Nunc breue Dramatis Argumentum subijcio.

AR-

ARGVMENTVM.

Agrippina ex Insula Pandataria, Nero filius è Pontia, quò fuerant iussu Tiberij per calumniã deportati, cruciatibus fessi fugam capiunt, & Romam noctu perueniunt, altero alterius conatum ignorante. Per idem tempus Drusus quoquè damnatorum filiorum alter, non sine fratris Caligulæ dolo, qui per suorum capita ad Imperium properabat, ex vrbano carcere elabitur. Vna singulis cupiditas, & species boni, vt perennibus malis subsidium quæreretur. Drusus fit per tenebras fortuitò Neroni obuius. Vbi se inuicem agnouere, deplorato primùm suarum rerum statu, mox de remedijs disserere; cumque multa contulissent, neque ea constare posse viderentur, consilium tollendi Cæsaris ineunt, atque ad Fanum coire Fortunæ sub egressum Auroræ constituunt. Centurio, qui cum Agrippina Romam venerat, atquè ab ea ad Antoniam socrum missus fuerat, eò loci casu delatus postrema de cæde Principis, & Fortunæ templo verba ex occulto auribus excipit, & ignoratione personarũ deceptus suadet Agrippinæ, vt codicillos exaret ad Cæsarem, & coniurationis indicium ferat. Illa quanquàm inuita, quoniam id tamèn & sibi, & liberis vsui forè putat, morem gerit. Tiberius pauidus in delubro Fortunæ custodias locari imperat. Manè adolescentes deprehensi, torti, atquè agniti sunt. Expresso parricidij consilio, vtrumque Cæsar obtruncari iubet. Tum accitæ Nurui blanditur, gratias agit, atquè obtecta velo munera simulans, filiorum capita miserrimæ parenti atrocitèr exhibet. Postquàm Agrippina se prodidisse ad necem liberos intuetur, qua eos industria seruari secum posse cogitauerat, vehementissimo dolori iam nimium impar supremum spiritum eijcit.

PERSONÆ.

Agrippina olìm Germanici Cæſaris Vxor.

Probus Centurio.

C. Caligula Cæſar.

Sertorius Macro Tiberij Libertus.

Nero } Agrippinæ filij.
Druſus

Ælius Seianus Præfectus Prætorio.

Tiberius Auguſtus Imperator.

Miles è Cuſtodibus Druſi.

Gracinus Laco nocturnarum Vigiliarum Præſes.

Ancillæ duæ cum Agrippina.

Chorus Romanorum Senum.

AGRIP-

AGRIPPINA MAIOR
TRAGOEDIA.

Agrippina, Probus Centurio.

Agr. *O Spes laborum ſola noſtrorum, parens*
Aeterna Diuum Roma, qua maius nihil
Sol aſpicit, ſeu tollat Oceano caput,
Seu mergat vndis: ſentio vim ſyderis
Genialis, & illecebram amici aëris,
Cęlique flatus, vndè vitalem diem
Hauſi: pudendis obſitam quamquàm malis,
Oblectat Vrbis dulcis aſpectus tamèn,
Et mulcet animi lacrymas acres mei.
Saluete Diuum templa, Semideum lares,
Et dedicatæ maximorum imagines
Superbæ Auorum; accipite ſquallentem nurum
Mærore fœdo, ſanguinem Auguſti, & genus
Sacrum Deorum; Cæſarum indignum domo

Spectaculum, sortisque ludibrium vltimæ.
Nam quidnã inexhaustũ est mihi dirũ, efferũ,
Atrocitate splendidum? heu miserum caput.
Consorte thalami prodito Dijs proximo,
Extorris, exul, indigens, domi timens
Errare cogor, desit in loco locus,
Vbi reclinem latera, vbi Cælum hauriam
Commune cunctis: immemor, Roma, es mei;
Nouerca qualis, quantaq́, heu, facta es mihi.
Quid dissimulo? quid sileo, quæ patior foris?
Ancillularum cultus est pudor meo;
Est victus arctus, dura strata, & sordida.
Quin & tenebras vertici inuexit meo
Lanista vilis, altero quò lumine
Orbata videam, Roma, dimidium tui.
Quid optimos recenseam natos, duo
Dilecta nostri pignora, heu nimium, sinus,
Columen senectæ, rebus abiectos, truci,
Custode septos? pessimum admotum spei?
Deflere puerile est; queri mentem arguit
Degenerem, ineptam, fœmina dignam infima.
Vos Dij penates Vrbis, ac Troiæ decus
Nobis auitæ, sarcina ò patris pij;

Vos Mars, Venusque gentis auctores meæ,
Adeste fessæ. Magne tu Geni loci,
Defende natam; nulla me facta arguunt;
Romana semper sensa præ gestis tuli.
Afferte lateri molle solamen meo;
Datum satis sit hostibus Cælo, & solo.
Nunc Dijs litatum quandò per nos est prece,
Quod imminet, gerẽdũ, atq; audẽdũ est, Probe.

Cent. *Aequũ est; trahere sermone nam tẽpus modò*
Inutile est, Regina.

Agr. *Naturæ arduum est*
Resistere, ò Centurio; & vehemens dolor
Moram reposcit. Cæterùm cum Dij fugam
Ex insula cruore lapsante in meo
Proni dederunt liberam, & Romæ sumus,
Nobis necesse est prompta consilia, & modum
Cautè expedire, quo salutem liberis,
Mihique pariam. Conuenire scilicet
Hos si velimus, spontè quorum iniuria
In has lacunas ruimus, id verò arbitror
Summum malorum, cladibus cladem addere;
Nota est voluntas. Si manere, & longiùs
Iuuat opperiri, sola quod dies ferat;

Haud eſſe tutam iudico ſententiam;
In Vrbe quippè degimus gnara omnium
Rerum, ſilente nullam; & ingenuus decor
Se prodit oris; parte diuulſus dies
Ex altera quin frontis auget indices
Notas; licet latere nec monſtro diù.
Adeam clientes patris, aut viri intimos,
Donèc beatos eſſe fas nobis fuit,
Opem ferendam perditæ qui cenſeant?
At quotus horũ eſt quiſque, qui gladiũ manus
Euaſerit ſæuiſſimæ? detur tamèn
Pleroſque ſubſtitiſſe, & in ſummis locis
Sui tueri dignitatem nominis;
Quis poſthabebit rebus inuiſis ſuum
Caput? meoque iure ſe in laqueum feret?
Hæc nullibi ſperanda, ſed Romæ minùs;
Sibi quiſquè ſtudium nauat, & rebus ſuis,
Ac cæterorum negligit pericula:
Quà ſit timendum, paſcere eſt verbis ſatis.
Quæ plena cum diſcrimine, ac metu omnia
Animis oberrent triſtibus, non ſum potis
Deliberare quicquam, & anceps hæreo.
Quid, Senior, inquis mole rerum exercite,
An-

Anniſque docte? quæ tua eſt ſententia?

Cent. *Id cogitabam ſæpè, cum procederem,*
Regina, tecum; ſæpè metuebam tibi;
Nec conſili tantum eſt mihi ad tantam luem.
Sed quandò fas eſt nemini mortalium
Per ſemet omnia poſſe, & aliena haud ope
Sæpè indigere; ſcilicèt homo homini Deus;
Ad quempiam diuertere, & committere
Eiuſce te fidei neceſſe exiſtimo.
Recenſe amicos, cogita affines; neque
Periere cuncti, credo, nec cuncti fidem
Fallent; tot inter improbos ſurget bonus.
Vide illud ergò, quò recedas tutiùs;
Securus error eſſe, opitulari neque
Poſſunt tenebræ.

Arg. *Cuncta ſapientèr, Probe.*
Mihi fidelis ſocrus eſt Antonia,
Quæ me fouere ſueta, dum licitum fuit;
Huius de amore nil dubito, nec de fide.
Tu Principem facilè reperies fœminam
Genitam Imperante, coniugem clari Ducis
Olim, ſecundo neutiquàm addictam thoro,
Semen Deum, Germanici matrem mei.

Hanc conuenire clanculùm cures velim,
Meos labores, & pericla exponere
Marisquè, terrequè, ineo dum tristem fugam.
Huic me dedisse tramiti spei impotem,
Ni nostra quantùm socrui spes nititur,
Cum iam nequirem tot nefanda perpeti.
Porrò imparatam, & indigam rerum omniũ,
Sola miseria diuitem, ore sordido
Hìc esse, nullum quà mihi est solatium.
Prudentiam omnem deesse, consilium & mihi.
Per obsequia mea oro, per suum caput,
Germanicum per mutuum, & magnos Deos,
Mihi opem ferat, ne deserat tristem nurum,
Meæ saluti, & dignitati consulat.
Heu quid plateis profuga? quid triuijs agam,
Periculo imminente semper vltimo?
Cum tanta causa feceris mea, Probe,
Hoc adde summum; nuntius bonus redi.
Superi rependent illa, quæ haud licet mihi.
Cent. *Fieri quod à me est potis, agã illud sedulò;*
Tantùm Deorum præstet auxilium fauor.
Sed te viarum in publico stare haud decet
Primarium caput. Subit animum. propè
Anus

Anus pudica est nota, & affinis mihi,
Colens, perosa nuptias, viduum larem:
Si iußeris, reponam apud eam te, tuo
Clàm nomine, & fastigijs, donec pedem
Referam.

Agr. *Placet, Centurio; haud pedibus mora est.*

Caligula, Macro.

Cal. *Beata poßet esse si mortalium,*
Amice Macro, vita, certè neminem
Reor beatum, qui timoris, aut spei
Perennis esca viuat incertus sui.
Quisquis Deorum munere est nactus modum,
Vt desit & quod speret, & quod inuicem
Metuat, putauerim vnicũ Ioui hunc parem.

Ma. *At spes, metusquè maximarum enutriunt*
Rerum capaces spiritus; & arduum
Tentare nil auderet, ac nil aßequi
Mens nostra poßet destituta huiusmodi
Calcaribus. Si ritè, Cæsar, cogites,
Mensura rerum sola magnarum est labor.

Cal. *Difficile quàm sit omnibus numeris senem*

Clausum mereri, tute iamdudùm vides:
Atquè ipse morem gerere cũ studeam quidèm,
Nunquàm vereri desino: semper latet
Charybdis ista, sempèr exitium struit
Hæc artium fæcunda mens, & multiplex.
Quo sim penès profunda talis nebulæ
Loco, quis intellexerit? quis explicet?
Beatus ò Seianus, vni scilicèt
Cui totus ille nullibi tectus patet.
Recurrit animo sæpè damnata & parens,
Et bina fratrum probra; formido genus;
Natiuo & odio pereo in oculis Principis.
Ma. *Hoc cautiorem te necesse est oppidò*
Ductare vitam, præter atque Auum nihil
Habere pensi. nihil es, Cai, Seni
Nisi obsecundes; eius artes induas;
Formes te eũdem: quicquid in matrem cadit,
Quicquid repulsis fratribus mali obuenit,
Te permouere debet inuictum minùs,
Quàm si teatro fabulam spectaueris,
Et vapularit Dauus in triclinio.
Omnia feres, dominarier si volueris
Omnibus. id vnum cogita: Imperium peto..

De

Cal. *De fratribus, de matre iam notum est satis*
Nil affici me: quippè nec placet mihi
Hic esse Drusum, mancipatus carceri
Quamquàm tenebras incolat: Scenæ dies
Immutat actus, rebus vnà cum nouis
Irarum, amorum fert vicissitudines.
Id mordet animũ, Macro, iampridem meũ.
Est Drusus atrox efferatæ audaciæ;
Euertere ego nisi æmulum coner prior
Aetate me priorem, amore & Ciuium,
Euertar ipse, si mouetur fabula.
Neronis alia est ratio; mollis est pecus
Effœminati moris, atque inertiæ,
Metuere quem necesse non existimo.
Quod si metuendus, facinus vt primum benè
Cessit, secundo plana iam facta est via.
Ma. *Tu fac, tibi expedire quod, Cæsar, vides.*
Vox illa trita est, & recepta gentium
Consensione, temporumque origine
Regum à vetusta. Regna non capiunt duos.
Non Sylla Marium, non vicissìm Marius
Syllam tulere; nec pepercit Iulio
Magnus, generum & à culmine excussit socer.

Hæc

Hæc fata demùm perdidere Antonium.
Fraterna quippè bella quid recenseam,
Regumquè Thebas expiatas sanguine?
Ne quære longè exempla, quæ tenes domi.
Vrgere præstat, quàm morari pharmaca.
Cal. *Sed cuncta magna, parua postulãt modum.*
Ma. *An causa desit, qua decoro nomine*
Tollatur auris Drusus? est domi seges
Veterum clientum fida; quem promptũ putas,
Hunc occupa, apud hunc charitatẽ in sanguinẽ
Tuum gemendo obtende, defer munera,
Quò Ianitori suadeat, custodiam
Vt negligentèr curet, atque ansam fugæ
Det inscienti; siuè mauis fallere
Et Ianitorem, poculum dari iube,
Vt ebrius dormitet, atque impos sui
Druso obsequatur.
Cal. *Lucra quæ feret fuga?*
Ma. *Præclara: iuueni infensus, ac metuens sibi*
Quæret fugacem senior, & ne quid domi
Turbare possit ampliùs, ne quid foris,
Interfici iubebit, & formidine
Hac se resoluet. innocens ab obijce
Te

Te liberabis maximo.

Cal. *Non displicet.*

Ma. *Ego, Cæsar, in te pronus à cunis tuis,*
Cum prima vix insisteres vestigia,
Seu syderum vis illa, seu sit indolis,
Flagrantibus te mentis optatis meæ
Ad rerum habenas euocaui sedulò:
Vt imperes, nil deindè prætereà expeto.
Idcircò ad aures defero, quæ in rem tuam
Videntur esse. fas, nefas iniurius
Regno titulus est: cuncta prò Regno licent.
Vel ipse patri non pepercit Iuppiter.
Neque Imperanti obscura sunt in te mea
Obsequia, quem sæpè nouisti mihi
Obijcere solitum iubaris ad ortum tui
Conuerterim quòd lumina, occasum suum
Fastidiens. Quòd plura si minùs gero,
Haud suspicacem commouere debeo,
Vtrumquè nostrum ne periclis implicem.
Tu multa genio, & Marte præstabis tuo.
Expende tu, quam prodidi sententiam,
Vel si qua melior subeat in mentem via.
Sat me parasse rebus auroram, mei

Nec

Nec non probaſſe candidam ingenij fidem.
Cal. *Non pœnitebit. nunc morari haud expedit.*
Ma. *Benè eſt; recepit mente conſilium puer.*
Vt cuncta genio præſtiti vſque ad Enniæ
Noctes, meiquè dulce delicium thori
Secunda, quò me diligat, quò ſit meus;
Sic deindè nulli ſedulus parcam rei,
Vt imperandi ſurgat ad faſtigium.
Aulæ clienti cuncta ſunt inania,
Pronum niſi habeat Principem rebus ſuis.
Si fata fratres annuant euertere,
Druſo remoto, nam leuis Nero eſt labor,
Quin iſte regnet vnicus, quis ambigat?
Aeuo Tiberius eſſe iam nimium graui
Incepit; ægrè membra vires alleuant;
Languoribusq; obnoxius perennibus
Luctatur vtramque inter & vitã,& necẽ,
Ab ore paulùm & diſtat Inferni lacus.
Vel Imperator deſtinet, vel quilibet,
Nemo propior eſt, nemo, ni Caius, poteſt
Iam Cæſar appellatus ad ſolium vehi.
Seianiana vota ſat liquent mihi;
Video ſat artes ſubdolas, & ambitum:

At

At ipſe, qui tot perdidi claros vafer,
Ipſum perindè habebo Seianum quoquè
Ludibrio, quid triſte cum metuet minùs.
Serpit penès iam milites auctoritas
Macronis alta; iàm videmur intimi
Hęrere Regi: fata ſunt noſtra in manu.
Solertia opus eſt; accident fauſta omnia.

Nero.

AT dormionè? an vigilo? menè ſomnia
Nocturna ludunt? verus an rerũ mihi
Dat ſe videndum vultus? ergò vinculis
Solutus erro? milite haud cingor truci?
Haud inſula interceptus aut Cœli, aut ſali
Spectator? egonè in Vrbe ſum? egonè sũ Nero?
Vix mihi fidem habeo. Numina, ò, grates ago
Vobis perennes; dexteræ hoc veſtræ eſt opus;
Nam ſi velim cenſere, quo res ordine
Proceſſerit, quo è Pontia exierim modo,
Peream profectò ſi ſciam; vos obijcem
Fregiſtis omnem, perfugamquè Aeneio
Vos appuliſtis obſecuti littori.

Nihil

Nihil mihi horum fuerat audendum, nihil
Sperare licuit; absquè vestro munere
Aeternam agebam ſerus Ixion rotam:
Nam quęnam omiſi ſtudia? quas artes diù,
Caſſis tamèn ſucceſſibus, donèc dies
Decreta veſtris adfuit ſententijs?
Fauete nunquam feſſa, dum redeat quies;
Quam ſi annuetis, prodigè veſtris dabo
Ardere in aris victimas; Phœnicios
Nec non odores naribus ſubdam pijs.
Sed quid ego? in hanc cur cõtuli terrã pedem?
Hæc terra patria eſt mihi, ſed hoſtis hoſtibus
Regnata ſęuis. Qui Tyranni clauditur
Domi, Tyranno viuit, haud certè ſibi.
Cautè ambulare, cautiùs linguam decet
Mouere parcam; noſco iampridem loci
Genium, nec aura fallit expertum improba.
Ne nomen edat fama, ne ſpecies ſui
Se proditrix accuſet, hìc labor mihi.
Inops, inermis, nullibi & tutus mala
Tentare fata haud debeo, quem dextera
Nec ſeruet audax, nec ſatelles æneus.
Tantùm tueri liceat, ò, Druſum meum,
Mi-

Miſcere nec non dexteras, & alloqui;
Quò, ni perennis ira Diuorum manet,
Sic conſulatur rebus afflictę domus,
Vt tot leuari cladibus tandèm queat.
Ardua profectò poſco, ſed iuſtiſſima.
Qui mitigatas traxit ad Lyram feras,
Huic ire, abire non negarunt Inferi.
Hic prętat explicare neruos ingeni,
Formas me in omnes vertere, atque omnē doli
Vicem ſubire, vel ipſe ſi carcer manu
Purgandus eſſet. dignitatem neutiquàm
Fœdat, quod arcta pręcipit neceſſitas.
Atquì vltrò Apollo pauit Admeti gregem.
Tentare demùm quamlibet decet viam.
Sed ventitantes audio: in nemus fera,
Si quem ſonum perceperit, pedem refert.

Centurio.

NVnc illa honeſtè degit affinem meam
Penès recepta Plautiam; & Diuū fuit
Reperiſſe munus nocte ſub furua locum.
Aſt oppidò prouinciam me ſentio

Cepiſſe

Cepisse duram, Rege damnatam aspero
Qui fœminam deduxerim coràm. benè
Utinàm hoc vtrique vertat: implacabilis
Est ira Regum, nec senescit tempore.
Sed cur negarim miles officium Duci?
Nullus amor est, qui morte finiri potest;
Eius cineribus frigidis quoque seruiam;
Quicquid futurum est rebus, & capiti meo,
Intaminatam comprobauero fidem:
Ingrata nec sepultis ista manibus
Erit voluntas, nostra si manes mouent.
Quin verò, & vxor ipsa de Probo Ducis
Quid non meretur? naufragus, nudus, tremẽs,
Vix ore spirans, indigus rerum omnium
Ad Insulam nataui, & vbi nefas opem
Sperare dulcem inhospitali in littore,
Hæc vna, quamquàm in sordibus, præstò fuit,
Et vindicauit sortis ex iniuria.
Porrò inuenire Drusianam Antoniam
Existimo difficile, nec me vertere
Quò debeam, scio iamdiù Romæ rudis.
Quòd si per oras sciscitari, & quærere
Velim, videndum est, tuta sitnè quæstio,

Nec

Nec cuilibet fidendum. agere temerè est viri
Planè inscientis, requè nulla exerciti.
Hìc suspicaces esse nonnihil procùl
Admonuit animos fama; delatoribus
Gaudere valdè Principem: cautè herculè
Mihi est agendum, nequè mouendus est lapis,
Qui nostra tundat capita, nos atquè opprimat;
Quandò vel ipsam traheret hæc mecũ improba
Ruina Dominam; solus haud essem reus.
Memini viro ducente apud nos spiritum,
Dein filio sanctissimis, Antoniam
Egisse vitam splendidè in Palatio:
Post luctu abisse, sordidatis ædibus
Actura menses cœlibes luxu procùl:
Quò verò abierit, quando abessem, nescio.
Hæreo quidèm inconsultus, atquè anceps viæ
Importuoso in æquore: at necessitas
Deliberantem minimè, agentem postulat.
Simulabo seruum quærere eius me domi,
Seu quicquid aliud suggeret melior Deus.
Non pauca sæpè dura sanantur ferè
Ex tempore, inquè agone; quæ, si cogites,
Pereunt; repentè quippè multa suppetunt,

Quæ rebus obteſtentur in grauiſſimis
Sibi vendicare plurimum caſum, & Deos.

Chorus.

SOl, qui quadrijugis vectus ab axibus
Pluſquàm Regifico Syrmate nobilis
Intextùs humeris induis aureos,
Mundum perpetuo cingis & ambitu,
Quàm tu, quamquè Soror proxima Syderum,
Cuius nox dubijs credita cornibus,
Et quæcumquè micant cætera lumina,
Qua vos lege Deus gentibus obſequi.
Rerum primigena iuſsit origine,
Hanc ſeruatis adhùc, & ſinè crimine
Gaudetis reduci condere circulo
Aeſtates homini frugibus vberes,
Et ver, ac violas ducere pergitis,
Autumni & grauidum multiplici ſinum
Fœtu. vos patrijs cedere ritibus
Neſcitis Stabiles. At genus aſperum
Iapeti veterem reſpuit ordinem
Semper deterior; de ſcelere in ſcelus

Lapſu

Lapsu & præcipiti tendit, & incubat;
Irritatq; Polum, dum Polus illius
Haud curam assiduo munere negligit.
Vos septemgeminis collibus additæ
Arces Romuleæ, non sine tristibus
Appello lacrymis; te simul alueo
Flauo, Tybri pater, dicite seculis
Quàm primis animas vreret inclytas
Vnus laudis amor, curaque ad arduam
Virtutis gradibus tendere gloriam,
Non auctu proprio, sed Patriæ bono:
Transibant in opes omnia publicas.
Non corruperat impotens
Sublimes animos ambitio, neque
Regnandi studium, & dira cupiditas;
Fallax præcipites non Venus egerat;
Sudatis aberat luxus ab ædibus;
Castam sollicitè pauperiem domi
Curabant humiles, iustitiam foris.
Fasces lectus ad imperi
Ibat iudicio, & munere ciuium
A rastris aliquis. cæca pericula
Sic iussit patriæ temnere charitas.

Hinc tot magnanimæ fortia dexteræ
Manarunt opera; hinc fractus acinaces
Medorum cecidit; pulsus & Annibal;.
Nec non Oceanus paruit vltimus.
Ad famam pauitant Indus, & Aethiops;
Et quocunquè diem fert iubar aureum,
Nostri transgreditur gloria nominis.
Felix Roma quidem, nisi
Desissent hominum talia pectora;
Mores ni sereret tempus adulteros.
Læuo singula Numine
Procedunt; perijt fides;
Exacta est pietas, & pudor exulat.
Solers quisque sibi, non patriæ studet;
Priuatas & opes, atque potentiam
Communi amplificat, sequè curulium
Hæredem statuit funere publico.
Aedes dedecori est vnius oppidis.
Proh Diuum, atque hominum fidem;
Det quisnam, vt redeant ad caput omnia?
Sed fatis agimur, neque
Mens aßueta dolori
Non præsaga procellæ est;

Nec

Nec deest forsitan esca:
Quamuis nocte sub alta
Haud arcana patescant,
Pronas sentio nubes.
Vos, quæ fræna rotatis
Vasti, Numina, mundi,
Si flecti prece fas est,
Fessę quandò laborum
Exhaustum est satis Vrbi,
Omnem auertite pestem;
Priscos reddite mores;
Puro in lumine virtus
Inconcussa nitescat;
Virtutemquè secuti
Dura à sorte resurgant.
Fraudes, ira, libido,
Vi nulla rediture,
Ima in Tartara tendant.

Drusus, Nero, Centurio.

Dr. *Addestnè quisquã? neminẽ video quidẽ.*
Benè est: manu iã sũ in mea, & dñs loci.

Iam dura abegi vincula; erupi è ſtyge
Interminati carceris; trucem dolo
Vici Tyrannum. at ſæpè vertendus mihi
Eſt oculus, atque auris; ſiniſtram, dexteram
Oportet explorare; quiuis ſibilus,
Quæuis timenda eſt vmbra, ſeu ſim perfuga,
Seu me renuntient odia Domini reum;
Auræ nec ipſi credo. Sed enim magnũ eſt malũ
Hominẽ imperare hominibus, & quandoquidẽ
Sic vrgeat neceſsitas, non optimum
Præeſſe, quem nec ira tranſuerſum trahat,
Nec vis amoris, iure ſed iuſto regat.
Id ſi fuiſſet, Druſus haud foret miſer.
Ne. *At at quid hùc reuertor? haud tuti ſumus.*
Dru. *Imminet aliquis ad terga, vel videor ſonũ*
Audire vocis. veſte ſed ſum ſordida,
Hoſtile ni quod fuerit, & domeſticum
Caput, nouato me tuebor nomine.
Malè cogitabit iſte ſi capio fugam.
Ne. *Neſcio quis hìc eſt. vacua ſed ſemper loca*
Si in Vrbe quæro, nullibi eſt locus mihi.
Audere forsàn præſtat, & Diuum fidem
Cautè experiri.

Acce-

Dru. *Accedit, & pubem fouens*
Puer videtur, iure nec melior meo.
Ne. *Quid, si alloquar? non audeo.*
Dru. *Sed nescio,*
Quid me haud volentē pertrahat: quatit metus:
Alea tamèn sit iacta. magnum incōmodum est
Errare Romæ per tenebras aduenam,
Vbi nec viarum, nec hominum est scientia.
Ne. *Non hìc Quirini ducit ex aura genus.*
Dru. *Tu bone vir, esnè Romuli cultor soli?*
Ne. *Non sum: procùl sub alpibus sedes mihi;*
Et nunc secunda voluitur Cælo dies,
Cum me superba detinent Pomœria
Romæ imperantis æde digressum mea
Malignitate Præsidis mihi asperi,
Quòd illigare haud quiuerit vitio meam
Væcors sororem. hanc militi nuptum datam
Externa misi in rura, & arripui fugàm.
Sic sua fefellit Præsidem violentia.
Hìc porrò amicus, atque popularis meus
Oblatus hospes. inuenire at ianuam
Haud fas per vmbras est, teatrum ni priùs
Magni reperio. grata, si mihi indices

Res nimis erit.
Dru. *Non illibentèr hac tibi*
Obsequerer in re, Roma sed paritèr mihi
Noua est: Pachini natus in Trinacria
Vix appuli hos ad Tybridis flaui sinus,
Rudis Latini moris, & viciniæ
Omnis. coëgit asper, & minitans pater,
Cui facere satis haud Iuppiter quidèm potest;
Ne. *Scilicèt eadem sorte iactamur duo;*
Opem nec vni ferre nunc alter valet.
Dru. *At hic Neroni vocis est similis sono,*
Dispar nec ætas, & figura corporis
Eadem videtur, vnicaque dimensio.
Custodiendus ille sed tractu nimis
Abest remoto. Doleo communem vicem.
Sed vana ni me decipit sententia,
Si dexteram calcaueris, rectà inferes
Pedem teatro.
Ne. *Drusus annè hic est meus?*
Sic ille defert ora, sic celsum latus,
Sic verba fatur, & profectò æqualibus
Pubescit annis.
Dru. *Equidem Drusi mihi*
Au-

Audiſſe videor nomen ex ore iſtius:
Ni fallit auris, attigi metam; Nero
Eſt frater iſte.

Ne. *At quomodò è cuſtodia?*
Incertus hæreo.

Dru. *Quandò ſic placeat tibi,*
Ibo comes, leuabo & ærumnam viæ.

Ne. *Abnuere nequeo, quod mihi eſt gratiſsimum;*
Fratrem tenere videor.

Dru. *Et quidèm mihi.*

Ne. *O Druſe, vita carior mihi.*

Dru. *O Nero,*
Lux mea: beata ò monſtra, quæ Dij perpetrāt.

Ne. *Luduntnè ſpectra? veriorue imaginum*
Fortuna fulget?

Dru. *Neutiquàm fas eſt mihi*
Cohibere mente gaudia, atque ore oſculum.

Ne. *Vt te recipio lætus, vt te ſuauior.*
Sed vincla nodi quis refregit Gordij?
Qua te Minerua vindicaſti è carcere?

Dru. *Longum eſt referre, quāta pertulerim mala,*
Quāq; habitus, heu, ſim barbarè, & crudeliter;
Mens horret ipſa, vox nec ægra ſuſtinet

Res.

Res ferre detestabiles. Dij talia,
Si iusta posco, auctoribus rependite.
Hinc fustibus percussus, interdum & truci
Collum catena pressus; indè atrocibus
Minis petitus, & securi territus,
Turbæque sortis infimæ ludibrium
Vixi sepultus: nec malorum hìc exitus;
Escam negare dira custodum manus,
Quæ non negari sueta brutorum vltimo,
Assueuit etiam, cuperem vt adeò è culcitra
Tomenta deturbare pellendam ad famem;
Horrenda vultu turba, verbo, dextera,
Quales profundo Tænarus nutrit specu.
Sic lacrymis, & sordibus diu obrutus
Nihil, nisi atrox, mente spectàbam anxia,
Viro æstuanti similis, vt prudentiam
Vis morbi adussit, atque rationem abstulit,
Cui tristis obuersatur ante oculos mali
Imago perpes. fluere parietibus cruor
Modò videtur; nutat ancipiti modò
Domus fragore; nunc dehiscit horrida
Sub pedibus, & fauces aperit atras humus;
Nunc ora surgunt, aut videntur surgere

Im-

Immania, & celebribus monstris pudor.
Dum me ista terrent, tanta desperatio
Me cepit, vt placeret vnam quærere
Mortem, salutem ni liceret, pluribus
Ne tristis vltrà victitarem obnoxius.
Id proptèr explorare cunctos exitus
Solertèr inchoaueram, vt caueam fera
Rimatur omnem; quandò sublustris mihi
Seruata negligentèr eccè ianua
Apparuit nupèr, mora nec vlla, exui
Suetos amictus, sordidatos sustuli,
Quos obtulit Fortuna; clàm custodibus
Nec non fugæ me tradidi. ò magnum Dei
Donum, quòd offers obuium te te mihi
Hac sorte rerum. quicquid id, spero optimum.
At te quis astus liberauit insula?

Ne. *Doleo vicem tuam; mala adeò, proùt bona,*
Nam fratribus communia. at luctus meos
Si voluero requirere, & committere,
Valdè ambigam, quos præferam. iam stigmata
Toto rigescunt corpore, & sub verbere
Interminato langueo. Centurio,
Miles, satelles, lixa, mirmillo, spadò

Ha-

Habuere me, quem fingerent signum sibi
Crudelitatis, & furoris: inclytus
Ille Imperator, qui me haberet duriùs.
Nunc dira vocum subditarum nomina
In vulgus occœpere fœdum spargere,
Mihi occidendum iussione Principis:
Nunc quassat vncos improba infames manus:
Quæ cædis instrumenta sunt seruilia
Magìs, simùl væsanus ostentat latro.
Nullus minarum finis, & conuicij.
Sæpè etiam in apicem scopuli agebant horridi,
Quasi daturi in cæca præcipitem freta.
Victus ratio ceu belluarum, sordida,
Enormis, arcta; strata nequaquam, solum
Prò culcitra, & si durius quicquam solo est.
Omnia misera, pudenda, nec digna auribus.
Tandèm resipui; placuit ex igne egredi,
Quamquàm imminere cernerem pericula
Grauissima; & repentè nactus ostium
Fractum cloacæ per tenebras prodij,
Meque æquori commisi, & obscœnis vadis,
Ducente Diuum quopiam silentio,
Donèc Latino reddidi me littori.

Exin viarum ambage longa, & flexili
Vrbem assecutus lumine hic fruor tuo.
Dru. *Porrò quia minimè est putandum, vt optimè*
Tu inducis animum paritèr, vt credas, tuum,
Iniussu abisse nos Deorum è vinculis,
Atque hùc eodem commeasse tempore;
Imò ad beatum quidpiam est tantus fauor;
Geri quid à nobis queat, quid debeat,
Reor videndum, quò parentem liberam,
Quam certa res est clade plus nimio premi,
Præstare liceat, nos & vnà exoluere
Angore longo prorsùs, & formidine.
Hìc explicandum est robur, ac nerui ingeni;
Istum probandi sedulò ad lapidem sumus.
Ne. *Vnum id parabam mente, cum cepi fugam,*
Et hoc te amabam conuenire nomine;
Sed arduum opus est, dura consultatio,
Rem iure si metimur æquo, plurimum
Deliberando quæ requirat temporis;
Præsidia neque enim habemus vlla, quorũ ope
Tentemus aliquid; & nihil contingere
Deterius ipsis posset, àc fieri palàm
Viri in furore tàm cruento pessimi,

No-

Nouisque vetera offensionum intendere.
Quemquamnè teneat Roma, qui nostrã velit
Suscipere causam? cum voluntas Principis
Auersa, nec Præfectus implacabilis
A criminosis abstinet calumnijs,
Daturus auris irritas semper preces
Nostras, & omni nauiter conatui
Semper futurus hostis atrocissimus?
Certare durum est, vnius potentia
Vbi cuncta sub se deprimit iusto procùl;
Speranda nec mutatio, ni in turpiùs.
Fuit ille semper sanguini infensus suo,
Eritque semper, dum fruetur spiritu.

Dru. *At ille semper non fruetur spiritu;*
Morbis premuntur viscera, & seniũ grauat.

Ne. *An noxios te præterit nunquam mori?*

Dru. *Quid si laborem nostra suscipiat manus?*

Ne. *Ità tibi vilis noxa parricidium est?*

Dru. *Tyrannus ille.*

Ne. *At iudices nos non sumus.*

Dru. *Ego me tueri cæde cuiusuis reor*
Licere: nullum facinus amplum, atquè vtile
Patraret aliquis, talium sophismatum

Si

Si vim timeret.

Ne. *Me necessitas potest*
Mouere sola.

Dru. *Quidpiam nec me mouet*
Præterea. Ego quidèm vulnus infligam prior,
Tuoque aperiam nobilem ferro viam.

Ne. *Sed quo per æratum agmen irrumpas modo?*

Dr. *Deus est animus, & quidlibet magnũ aggredi*
Nihil veretur. Sæpè summi improuide
Castris in ipsis occubant gladio Duces.
Nonnulla sibi Fortuna permitti iubet.

Ne. *Detur, sequatur vota successus rei;*
At nos ab vlciscentibus quis eruat?

Dru. *Consulta sub tumultibus quæ suppetant?*
Cæso profectò, à quo timendum, aut præmia
Speranda, causam nemo curat perditam;
Et nostra fortè cum patebunt lumina,
Pronus fauebit quisque percussoribus.
Quod si salutem non licebit aßequi
Nostram, Tyranno soluere humanum genus
At est decorum; hoc mentibus solatium.

Ne. *Egregium; vt ornem cæteros, memet premam.*

Dru. *Sperare semper mentis excelsæ fuit.*

Spe-

Ne. *Sperare laudo, temerè agendum ſed nihil.*
Porrò cum agatur maximum negotium,
Vterque nocte ſub profunda cogitet,
Quid expeditum lubrico in facto ſiet:
Dum viuit hoſtis ſcilicèt, viuit metus:
Tùm manè ſummo comparati proximum
Fanum petemus, Diua quo boni ominis
Fortuna colitur: quippè nunc vltrà ſimùl
Nos eſſe iniquum iudico noſtræ rei.
Minùs patebit vnus, & minor mali
Suſpicio ſurget, ſi ſeorsùm degimus.

Dru. *Probo; tibi & me reddo Fortunæ in ſinu.*

Cent. *Coire debent manè Fortunæ in domum?*
Et Principi vim ferre? ſat teneo ſcelus,
Quamquàm remotus ſubſtiti, & ſerò adſui.
Proh quanta plebis infimæ eſt audacia.
Hæc nacta non eſt negligentem occaſio;
Iam quid gerendum ſit, mihi in mẽtem venit.
O ſancta Cæli quàm fauetis Numina.

Seianus.

SEruire dura mehercule eſt prouincia,
Spes ni imperandi ſeruitutem nutriat:

Quod

Quod si semèl adegerit animũ ad hãc rem suũ
Quisquam, suo nec se orbe contentum ferat,
Hoc cœptitarit quicquid ad fastigium,
Id diligentèr persequi, atque absoluere,
Si vir sit ille, debet, infortunia
Parata ne aliis cieat in suum caput.
Ego, quem parens natura sat fecit virum,
Quamuis equestri nata Vulsiniis loco
Me gens in auras fuderit, Romæ nouum
Fermè, parente scilicèt, genitum nouo,
Et cogitaui de imperando fortitèr.
Tamèn, & coëgi multa ad illud nauitèr;
Neque ad hanc diem damnare fortunã queo,
Neu pœnitendum audaciæ. Vt primum attigi
Aulam obsecutus Cæsari, solertiam
Omnem putaui ritè quærendam mihi,
Ingeniũ vt æquarẽ hominis acre, & subdolũ;
Hinc in labores primus, & pericula,
Quicquid recusent alii, id amplecti acritèr;
Idem arrogantis, ambientis nomina
Vitans; modestus fronte diffusus pudor;
Nec Principi non blandiẽs lingua, & manu,
Proùt illum amare viderã; interdũ & bona

Consilia subigens, sicq; vel famam aucupans
Habui retectum: iura beneuolentiæ
Conuersa sunt in me omnia; & Domini foris
Studens saluti, laudibus, sceptris, rei,
Intùs paraui, quæ meam ad potentiam
Facerent, viamque sternerent regno mihi.
In castra nam collectus excubitor propè
Quò tendit arte miles vrbanus mea?
Quò tendit æstimatio, atque auctoritas
Mihi acritèr quęsita, tandèm nutibus
Meis vt omnem pateat obuolui ordinem?
Ipse in Senatum lego, Senatu amolior;
Ius fascium dò, cui lubet; subdiuido
Simùl curules; ipse collega Imperi;
Meæ coluntur cum Nerone imagines.
Vxorioque iure tango Cæsarem.
Iactent Agrippina genus, atque liberi;
Intereà ad vndas exulent inhospitas.
Vt amouere scilicèt cœpi obijces,
Vt luce natum Regis exemi vnicum,
Binosque abegi spe nepotes regia,
Me me tuentur lumina Aeneadum omnia,
Et cuncta vergunt maximain meum decus,

Tor-

Torrentis inſtar, ſpontè qui pręceps ruit,
Aulaque inani liberè ſolus fruor
Succeſſionis penè ſecurus meæ.
Amant, timent, odere, pluſquàm & audio
Ephęſtionem. Sed nihil penſi eſt mihi,
Dum nauitèr curare rem meam datur.
Tamèn quia metuendus eſt hoſtis, iubar
Donèc tuetur Solis, atque auram ebibit
Vitalem; & humana ratio eſt mutabilis;
Quin nec ſub vno voluitur rerum rota
Tenore, varioſque accidit caſus dari;
Tutius id eſſe exiſtimo totum genus
Delere prorsùs; exules calumnijs
Opprimere, quod mihi eſt facile, ad ipſam necē;
Hunc, qui videtur, proximus, Caium dolis:
Quem dum fouere fingo, dum regno paro,
Obtendo nec non caſsibus canam fidem,
In rete clàm compoſitū, & in technas trahàm.
Sic luce deſtituti ſummi ſyderis
Me de ſepulchro dentibus nullis petent.
Odere qui me nempè, mortem his debeo;
Hoſtiſque, noſtræ eſt officit quiſquis rei.
Natura mihi ſat fraudibus munit ſinum;

Et cogitanti plura spontè suppetunt.
Sed nihil agendum hoc tempore, nisi vt omnia
Seruem vigil secunda, quæ dies ferat.

Centurio, Agrippina.

Cent. *QVid fecerim, Regina, quid fieri putem*
Debere posthàc, nolui alienæ domi
Tibi explicare, veritus auritum solum,
Oculata tecta, atque ora tignorum improba.
Nam sæua res est, cui recusent tigrides
Adesse crudæ, quam referre cogito.
Agr. *Quid? facta nobis hostis estnè Antonia?*
Nos ipsa quoque destituit, & struit mala?
Adeste Numina inferi, & superi laris,
Nouum videte crimen. Heu, nusquàm fides
Secura degit. menè cuncta polluunt
Cõmissa solam? at denique inuisum hoc caput
Trudatur imò, & obruatur Tartaro;
Sit meta sorti.
Cent. *Nulla sit menti inquies,*
Verenda Princeps, imminet nihil mali,
Nec sæua res, quam proferam, temet ferit,
Imò

Imò ſaluti ſternit, vt reor, viam.
Agr. *Quod ritè vergat; ſyderis quandò mei*
Noſco venenum. fare.
Cent. *Cum de Antonia.*
Rogare cœpi conuenam frugi, & bonum,
Proùt os ferebat, ille, ſeu metus foret,
Seu vera rerum forsàn ignoratio,
Se ſe negauit ſcire, quo degat loco,
Ac terga vertit protinùs. Quidam illicò,
Qui fortè iuxtà ſciſcitantem audiuerant,
Admuſſitare; fœmina de principe
Quid miles Vrbi ignotus adeò quæreret:
Ego reduxi exindè diſſimulans pedem.
Quæ parte poſtquàm contigere in altera,
Atque altera, neque illa diſſimili exitu,
Tùm ſenſi eadem prorsùs in formidine
Mœrentis eſſe Ciuitatis incolas,
Quam rumor aures tulerat ad meas procùl.
Diffiſus omni ſcilicèt ſolertiæ,
Animique pendens regredi cœpi.
Agr. *At tibi*
Quidni rogetur Plautia affinis tua?
Cent. *Incurioſam fœminam noui optimè;*

 Illam

Illam latere poſset & Solis iubar.
Sat ſi frequentet alta puluinaria.
Neque expedit mouere, quæ te detegant,
Dum protrahis domi eius occultam moram.

Agr. *Sed perge, quæ nunc ſuppetunt.*

Cent. *Reuerſio*
Ad lucra fuit hæc magna, nec ſinè numine
Reor Deorum; comperi nam proximè
Duos in vmbris alloquentes inuicèm
Secretiore à cæteris còmmercio;
Non ora, ſiue corporis cultum horrida
Præ nocte vidi. reſtiti ſub angulo
Latentèr arcto (cura vt eſt mortalium
Amans ſciendi) immobiliſquè pendeo.
Sermonis à me triſtis illos improbus
Auertit ardor; verba nec fas ſingula
Audire; tantum exindè collegi tamèn,
Quantũ retecta eſt flãma, quæ ad nos pertinet.

Arg. *Quæ flamma, ni ſit noxia, ad nos pertinet?*

Cent. *Dicam, nec eſſe iudices tùm noxiam.*
Impia, ſceleſta, horrenda deteſtabili
Conſilia labro in Principis ſacrum càput
Nebant; & ima voce conuentum fuit,

Vt

Vt manè summo luminis nutu aurei
Fortunæ ad ædem commeent, fiducia
Muniti iniqua, vt indè principium rei
Rite auspicentur.
Agr. *Quid vel hoc nostra interest?*
An liberari ab hoste quod detur locus?
Cent. *Non id parabam: quippè res est ardua*
Virum imperantem tollere, acri militum
Septum corona, & principum; talem improbi
Nec præferebant, ritè si expendo, indolem,
Quæ criminum promittat audacissimum.
Haud Roma Brutos pariet vsquè, & Cassios.
Sed tutiora cogitaui exponere
Consulta Dominæ. certiùs nihil puto
(Quod nempè veteri iure quodam, & ordine
Innititur) quàm destitutos viribus,
Inopes, inermes mole dominantum opprimi,
Nec posse miseros cum beatis congredi:
Nam quid Leoni faciat imbellis Lepus?
Ergò alia factis ratio tentanda, & via:
Per obsequia, per supplices iram preces
Decet potentum flectere, horum gratiam
Captare cultu. Saxa non frangit vitrum.

Hortarer, id fortuna cum dedit tibi,
Et apta prorsùs obtulit se occasio,
Vt elabores demereri Cæsarem,
Lenire sæuientis acres impetus,
Ambire beneficio, quod oppidò inclytum
Ducet, saluti viderit si te suæ
Consulere, clade seposita, & iris procùl.
Id quippè mentem subijt, accedat tua
Modò voluntas, vt libellos supplices
Tuapte ad illum sedulò exares manu,
Venisse queis te nunties ad patrios
Colles doloris impetu, & fretam ipsius
Benignitatis numine, ac veniam roges,
Simulquè parricidij indicium feras,
Vt caueat, vt præueniat infandas manus,
Dignasque geminum poscat ad pœnas caput.
Ab ore pignus tale ne temnas meo
Amoris, officijquè: non inutilem
Sumes laborem, Domina. cum de sanguine
Res est, amicus ille habetur maximus
Qui scelera defert Regibus, qui præmonet,
Vitæque eorum vindicem se se exhibet.
Nil charius vita viro, & sceptris Duci est.

Fe-

Feram libellos ipſe; ne cures modum.

Agr. *Ingens opus proponis, & planè arduum.*

Cent. *At magna cuncta geſta ſunt in arduo.*

Agr. *Nimis ille durus, hoſtis eſt nimis mihi.*
Quæ debuere charitatem, gratiam,
Opes, honores nurui ab ipſo quærere,
Ingens honeſti cura, ſuprà fœminam
Ad magna natum pectus, in malum omnia
Vergunt, & animo in perdito inuidiam creāt;
Culpa eſt mereri, noxa naturæ fauor.

Cent. *Quid ergò in Vrbem veneris carens ope*
Rerum omnium, omnia & timens?

Agr. *Pepulit dolor,*
Odium laborum, cura gnatorum, atquè amor.

Cent. *Sed nihil abeſt à fine propoſito ampliùs,*
Pendere quàm ſic animo, & incertas diù
Agitare curas.

Agr. *Quid, ſi amici ſint mei?*
Nocebo amicis? proditrix meorum ero?

Cent. *Nemo eſt amicior tibi adeò, quàm tu, ac tui*
Monumenta ventris, dulcis effigies viri.
Quì verò amicos cenſeas? quales decet
Tibi eſſe amicos, nobiles certè, & graues

Non

Non in plateis principum cædes parant.
De plebe sunt hi; rumpè inutiles moras;
Conatus horum futilis quamuìs erit,
Vt qui rotantur nubilo sæpè aëre
Rictus Leonũ flammei, & horrendus Draco,
Haud futilem mereberis tu gratiam.

Agr. *Mens hæret anceps.*

Cent. *Esse si credis Deos,*
Rerumquè curam cælitùs mortalium,
Permitte Diuis aliquid. ipsa iam tibi
Res est in arcto: tota cunctando pèris.

Agr. *Ergò hùc traxit nos vbi fatum,*
Dura sequamur flagra prementis.
Si qua necesse est sole sub aureo
Mortalem facere, at quo arbitrio
Fruitur nimiùm miser, heu nimiùm?
Vos syderei plausus olympi,
Hoc si Numina sancta iubetis,
Vt detrectem, quæ mihi vires?
Seruo nutus, haud mora, vestros.
Nulli debet obesse Deorum
Iussus facere, & credere Cæli
Se se fidei. turbine in atro

Hæc

Hæc mihi ſuaſio viſcera placat,
Animi & pellit ab æquore nimbos.
Eſte duces, ò Numina, veſtro
Emicet omnis linea ductu.
Iamque abeamus, iam, Probe, dextram
Mihi fatalis ſubeat calamus,
Et ſanguineo ſeruiat hoſti.

Cent. *Imò ſeruiat hic tibi, & ille.*

Agr. *O filij, dilecta capita mihi, heu, nimis,*
Videte, quo raptatur infelix parens
Poſt tot labores, ſtemma quò ſummum cadit:
Eius ſaluti facinus ingratum ordior,
Qui tanta nobis damna, tàm ſæua intulit.
Seruare quàm vos mallem, & in tutum dare
Iſto ſoluta munere, & ſolertia.
Sed quid ego? veſtrũ denique in bonũ, & meũ
Spes, vota tendunt: falſa non vtinàm ſient:
Natura falli eſt maximo inuiſis Ioui:
Sperare porrò præſtat, atque hæc mittere.

Cent. *Hoc, indolem eſt, Regina, quod decet tuam.*

Cho-

Chorus.

IAm nox adulta circuit
Telluris vdæ cardines,
Mortaliumquè corpora
Labore feßa liberat.
Iam ſpirat vmbras aëris
Circumuolutus ambitus,
Nec luce paſcit lumina,
Curru diurnæ lampadis
Orbem relapſo ad alterum.
Tantùm minora ſydera
Edocta more militum,
Ad caſtra noctis excubant.
Stant cuncta ſub ſilentio
Lætæ quieti obnoxia.
À me ſed exulat ſopor,
Nec finis ægritudinis.
Nam quis ſub axe ſyderum
Aut venenatos agat intèr angues
Tutus in ſaxo ſitiente vitam?
Aut ſub ardenti poſitus camino

Vitet

Vitet offensas volucris fauillæ?
Nulla vis illis valet ad salutem:
Cuncta naturæ genium sequuntur,
Nec sciunt ulli nocitura collo
Parcere. ò nobis malè fausta sedes
(Quippè sermonem facit hora tutum)
Roma, non Roma es, grauidum sed igni
Ilium semper recalentis iræ;
Semper infandæ luis ausa linguæ,
Et maritalis violata lecti
Iura. commisit sceleratus error
Quicquid antiquus, patimur nepotes;
Incubat nobis aliena clades.
Quis furor mentes, rogo, suspicaces
Occupat! quęnam rabies malignos
Insidet sensus? vt iniquus alter
Alteri hostiles meditatur ictus,
Sic sibi incertus metuit, cauetque,
Nec datur menti requies peresæ.
Nemo vel fari vacuus pericli,
Vel potest quicquam gerere. irretectus
Cuncta delator tenet, innocentem
Qui facit Numam sceleris peritum;

Morte

Morte nec fractum ſubigit Catonem.
Mutat hinc nomen ſcelerata virtus;
Portitor pallet nitidus diei;
Cæca nox crinem radijs coronat;
Spectat, & rerum genitrix ſtupenti
Lumine probra.
Hanc tulit regni rabiem libido,
Dum ſibi exhorret ſociare quemquam.
Sed prior regni ferit ima clauſtra
Vltio, primus domui potentum
Accidit terror, malè dum Tyrannus
Fidit aut fratri (miſer) aut nepoti;
Ipſa dum proles quoquè ſuſpicacem
Regis obtutum potìs eſt mouere.
Indè cognato Procerum cruore
Regiæ moles totiès inundant;
Ille quà duris ſcopulis egenus
Exulat; quà ſe dolet iſte preſſum
Carceris vmbris.
Nam quid infidi ſociantur vngues
In caput regum totiès ſuperbum?
Ima quid fœdæ quoque plebis ira
Inſtat inuiſo lateri potentum?

Ni

Ni quod aut sæuam timet, experiri
Dexteram en debeat imminentem;
Aut suo sensit malè plexa damno,
Mens coquat cladis simulata quantum,
Quanta sub clauso Duce sint pericla.
Heu splendidum Cæli genus,
Qui indignitate barbara
Tellure pulsi patria
Fathiscitis (nefas) diù,
In morte longa & viuitis,
Testes adeste vos mihi,
Suspecta sanè pectora
Vnius inuidentiæ;
Vos noxa nullà perdidit,
Ni Ciuitatis charitas.
Vestris dolores sordibus
Addo meos, si quid iuuat,
Si amica mens solatio est.
O quam beata secula,
Si perueniret debita
Ad vos Auorum laurea.

Miles

Miles è Custodibus Drusi, Caligula.

Mi. *Miserum caput; quò me deniq; abripiant*
Noti?
Quæ me cauernis occulat tellus procùl?
Seu quà niuosas hospitatur Caucasus
Nubes, Bootis siuè sub pigri axibus?
Vino sepultus, & sopore ianitor
Stertit humi aperto carcere, & Drusus loco
Nullo patescit; nempè corripuit fugam;
De re quis isthac ambigat? næ ianitor
Tantum piamen actus in Crucem luet.
Eius me at vtinàm noxa ne secum trahat;
Latè patent de more vt infortunia.
Regem furore percitum video truci;
Vt fama ad aures venerit, quisque est reus.
Sed non iuuentæ talis indoles erat,
Quæ se quieti dederet. Semper ratus
Sum grande germen hoc suæ ferociæ
Olim daturum signa; de rebus nouis
Quin cogitare sedulò vidi asperum.

Druso

Cal. *Druſo excubantem militem cerno anxium.*
Mi. *Vos Dij, Deæque, cura queis inſontium,*
Adeſte votis, dum fugacem quærito,
Permittite, vt reperiam, & reducam breuì.
Cal. *Ni fallor, abijt Druſus è cuſtodia:*
Mi. *Non me cibus, non ſomnus amplexabitur,*
Luſtrata cuncta arcana donèc mœnium
Mihi ſint, & omnes fornices, & anguli.
Sudare præſtat, quàm mori crudelitèr.
Cal. *Haud Macrò temerè ſuaſit, haud ſeruus malè*
Obtemperauit, ſi ſequantur cætera.
Mi. *Anguſta quicquid noſtra pauperies dabit,*
Ingratus æris neutiquàm veſtris ero.
Cal. *Verùm hìc probanda eſt Principi fides mea,*
Amolienda & noxa patrati doli.
Miles.
Mi. *Quid autem? Cæſar eſt Caius: miſer.*
Cal. *Quæ cura te ſollicitum, & ancipitem rapit?*
Rectenè Druſus?
Mi. *More proùt ſolet ſuo.*
Cal. *At carcerem cur deſeris?*
Mi. *Negotium*
Accerſit aliò pertinax; curant tuum

Fratrem ſodales, & perennis ianitor:
Neceſſe mentiri eſt; alioqui væ mihi.
Cal. *Quid muſſitas? an nota neſcis omnia*
Mihi eſſe? vera effare: quo Druſus modo
Euaſit arcta nupèr è cuſtodia?
Fugiſſe certum eſt, miles; hoc modò in loco
Id diſſerebas; crimen incumbit tibi,
Scelerate; tua ſubmiſit improbitas opem.
Fatere facinus, ne morare machinas:
Mi. *Nihil peractum eſt criminis me conſcio.*
Cal. *Adhùc reſiſtis, vile, & infandum caput?*
Adhùc tenebras Solis in lumen iacis?
Hæres quid vltrà? at pallet,at nutat; ſcelus
Iam iam fateri cogitur. Nùm te latet,
Quantùm furores prouocaſti Cæſaris?
Quantùm petatur rebus hic de publicis?
Mi. *Sæuire; ſupplex rogito, tendo & manus;*
Verendè Princeps; deſine; exieram loco;
Neceſſitate ſegregatus vltima;
Poſtquàm rediui, quiſquis auxilium tulit,
Druſum nequiui tùm videre deuium.
Tu ſi fugacem quæritare poſt fugam,
Mœrere, vires deprecari Numinum,
Sce-

Scelus arbitraris, illud est scelus meum.
Cal. *Vitare culpam tendis? at nihil facis:*
Certè tuum mox ianitor prodet nefas;
Et ni sit ille restitutus carceri,
Te præstolantur luridæ infidum cruces.
Te nulla tutum latebra, furcifer, dabit;
Discesque iußa Principum non temnere.

Centurio, Tiberius, Seianus, Caligula.

Cent. *DVrum est eo sub tempore, atque illo in loco*
Vitam agere, quo mortalibus nihil graue est
Aequè, atque sapientis, probique opinio.
Quod contigit Germanico, coniux habet.
Acri dolore si angitur, si nec modum
Ponit querelis, illa nequaquàm procùl
Ab iure procedit suo, si cætera
Sint paria; sed vis Numinum secùs iubet.
Mittamus ista haud profutura. denique,
Precesuè, rationesuè mentem flexerint,
Manum dedit Matrona; dextram denique

Admouit ægrè calamo, & indici notas
Impreſsit albo; ſcilicèt vel in ædibus,
In pagina ipſa fluctuare haud deſtitit.
Ingentis animi eſt fœmina, & Regum genus,
Auita fœdare decora videtur ſibi,
Si cui nocendum ſentit, & prodit reos.
At ſeruiendum eſt tempori, & rebus ſuis,
Et metiendum ritè iacturam, & modus
Non abdicandus, quiſquis ad lucrum facit.
Modò hac libellus continetur dextera.
Quærenda ſupereſt, Cæſari vt detur via,
Aditumque vir, qui paret; ab Vrbe ſcilicèt
Semotus egi plurimum vitæ, & Ioue
Sub bellicoſo rebus inſueui aſperis,
Canoſquè longas inter induxi niues.
Me cuipiam notum eſſe, vel cognoſcere
In ciuitate, manè quam ſi liqueris,
Nouam reperies, cum remigres veſpere,
Difficile planè eſt, offerat ni militum
Fortuna quemquam ex vetere contubernio.
Sed longa res eſt, tempus & nobis fugit
Mobilius alis concitati turbinis.
A nocte quin incommodum ſurgit graue;
Ni

Ni quòd Latinos Principes noctes alunt ;
Dies quieti traditur, negotio
Nox plurimùm dependitur ; quicquid fuat,
Tentare cuncta sedulò necessitas
Suadet salutis, atque in illam charitas.

Tib. *Videte, quisnam occurrat, aut teneat loca ;*
Qui nemini vir fidit, is lautè sapit.

Cent. *At eccè Cæsar. quid gerendum? sat scio.*
Proh Diuũ, & hominũ fidẽ, itànè in scelus ruit
Infanda pubes? Principum sic vertici
Illudit vnusquisque de luto miser?

Tib. *Quis clamor ille? occurrite: an tuti sumus?*

Sei. *Quid rei est? edissere, ò quisquis sies.*

Cent. *Immane prorsùs, Domine, parricidium,*
Quod horreat vel Tartarus.

Sei. *Quisnam perit?*

Cent. *Hucusquè nemo; sed videndum est, nemini*
Possint obesse vt proditorum crimina.
Adire liceat Cæsarem; hoc petitur caput.

Tib. *Adeste lateri: caterùm accedat senex.*

Cent. *Te Dij reseruent, grande tutamen rei*
Romanæ, ad omnem, quam mereris gloriam;
Hoc in libello perleges, quicquid tibi,

Cæſar, paratur, ni ſceleſtos opprimis :
Videbis & cui ſumma ſit ſalus tua
Mortalium bonorum, & immortalium.

Tib. *At ſcribit Agrippina.*

Cent. *Sic Nurum decet.*

Tib. *Scelus, nefas : at noſtra quid poſſit manus,*
Nondùm pateſcit ? capita nondum tegi
Regum ſupernè conſtat ? & nobis Deum
Clypeata caſtra adeſſe ? iam pœnas mihi
Dabitis, ſceleſti ; ſemper exemplis eges,
Tybri, cruentis.

Cal. *Flagrat in malum recens*
Nefanda fæx hæc vſquè ; nec ſidet priùs
Quàm colla in vnum ſi coacta ſingula
Secare liceat ; quicquid eſt ſecus, perit.
Pompeius eſſe quiſquè cum nequeat, tamèn
Vult eſſe Brutus, donèc in caſſes ruit ;
Dominum pati, niſi interempti, neſciunt.

Tib. *Senior, quis es ? quo Cæſaris Nurum modo*
Es nactus iſtam perduellem, ac perfidam ?
Iniuſſa quarè, dantibus quibus manum
Ex inſulano fugit illa carcere ?

Cent. *Ego, Imperator, è Pelignis prodiens*

Tibi

Tibi militaui iuuenis, & fratri inclyto,
Germanicarum laurearum conscius,
Tigranis & reducti; at ipsum denique
Germanicum secutus Auroræ ad pedes
Rursùm cucurri, & nobilem duxi ordinem.
Hic agnita Agrippina, ceu coniux Ducis,
Mihi est: in Vrbem nupèr & cum pergerem,
Mihi fortè facta est obuia, & me cognito
Centurionem nomine acciuit Probum.
Miseratus hæsi lacrymanti. cæterùm
Nil de fuga mihi constat, & fugæ ordine.
At si qua pietas est miseriæ, & sordium,
Si quam meretur, Cæsar, index gratiam,
De capite cum res agitur immanis tuo;
Dignum videtur abdicare cætera.

Tib *Vbi illa sedit?*

Cent. *Fæminæ clàm nomine*
Commisi honestæ.

Tib. *Tunè consilium furens*
Audisti eorum?

Cent. *Audire, quantùm fas fuit,*
Audiui, & execratus id sum nauitèr.

Tib. *Seiane, tute interroga ritè hunc Probum;*

Namquè ipse, & Agrippina crimen deferunt,
Quod imminet nunc rebus, & capiti meo;
Nec non Laconem, cura cui noctis, iube
Fortunæ adire templa cum custodibus;
Silentio sed migret, ac tectus loco
Miles quiescat: manè summo scilicèt
Quidam coibunt sceleris auctores trucis,
Qui inauspicatam cogitant Tragœdiam.
Quicunque fuerint, vinculis arctè obruti
In Tullianum pertrahantur carcerem;
Tùm quæstioni insiste; tormenti genus
Omitte nullum, veritatem vt eruas
Ausus nefandi; nulla sit pietas reis;
Nullam merentur, qui minantur Principi.
Originem require, causam, complices.
Radicibus nulla esse coniuratio
Solet sinè altis; tùm cauendum in posterum.
Sei. *Caput saluti, Cæsar, omninò tuæ*
Me deuouere noueras antehàc meum;
Nunc experiri poteris. id satis mihi
Haud esse fas est, quod satis non sit tibi.
Tib. *At illa porrò migret in Palatium;*
Ducat minister fœminarum Principem
Haud

Haud pœnitendus, nec pudendus fœmina.
Nemo Macrone forsàn opportunior.

Sei. *Fient profectò, Cæsar, ad votum omnia.*
Sic quilibet tuus hostis in manus meas
Cadat.

Cal. *Nec in meas minùs, Pater optime;*
Nulli Deorum parcerem, nedùm virum,
Quò tutus esse gaudeas.

Tib. *Ad te quoquè*
Hæc pertinent iudicia; res agitur tua.
Hac orbitate, hoc lubrico rerum statu
Fac Imperantem occumbere, Imperium ruit.

Caligula.

DEerant noua hæc incõmoda: hinc adest parens
Exilia spernens alta, qua spe nescio,
Quæ sat verendum est, ne furentem exasperet;
Illinc recèns delata Coniuratio,
Qua, si modò haud est ficta placandũ ad senẽ,
Illius irritatur animus intimè;
Et iure sanè; prouidum nam Principem
Quid criminentur, qui tuetur patrias

Leges,

Leges, amœna & pace dat gentes frui
Paterno in agro? nota cum Drusi fuga,
Fuerit, minantis quis resistat ignibus?
Atque hæc mihi extat causa, cur Auo nihil
De fratris ausu differendum existimem:
Aliundè norit; videar vtrique innocens;
Apud querelas, & furores Cæsaris
Absoluit ipsa quippè me obiurgatio,
Qua diffitentem lancinaui militem.
Verùm videndum est, ille quò diffugerit.
Si moliatur ausa, quæ turbas ferant,
Tùm tutiora nostra consilia: vltimas
Pœnas dabit profectò. non cum segnibus
Res est; suum vult Cæsar illæsum caput.
Sed ista Coniuratio qualis fiet,
Teneor sciendi studio; & hoc agitur modò.
Seianiana consequar vestigia.
Præstare, quod pollicitus, id me decet.
His comparatis rebus, inquiram in fugam.

Chorus.

O Quàm scitè immania sensi
Facta instare, nec esse Deorum
Nostris

Nostris saturas cladibus iras.
Quæ non animus purus, & insons,
Atque expertus plurima, vano
Plusquàm astrorum ex omine, cernit?
Hæc diuinitùs indita virtus
Suppetit homini, quodque est Solis
Oculis radians orbita, menti
Hoc diuinum est Numen amicæ,
Indè vt fugiat docta periclum.
Heu, quid væcors linquit inausum
Mortalis adeò? idne supererat
Genti Hectoreæ, vel caput ipsum
Vt scelerato ferro appetere
Vis tentaret plebis iniquæ?
Itanè hìc luditur altas vulgò
In ceruices, collaque Regum?
Deerat scilicèt ira furenti, &
Suspicionibus esca malignis?
Quæ, licèt atrox pateat clara
Iam consilium in luce diei,
Nec dominanti possit obesse,
Quis præuideat, quæ mala gignat?
Quæ nocitura subindè sequantur?

Vtinàm solos pœna nocentes
Rapiat, nec eos sæuiat vltrà;
Vereor læsi Principis iram:
Aequum est læsos quemquè timere.
Dij Romuleis parcite tectis.
At mirari haud desino, quisquis
Reges ensem instruxit in aureos,
Sæpè euentu falsus inani,
Cum sibi proxima Iuppiter altus
Curet capita, ac tela refringat,
Pœnis plectitur ille seueris;
Nec tamèn vnquàm crimina desunt,
Quæ sceptrigeris fata minentur.
Porrò has inter gaudia turbas
Mulcent animos tristè timentes;
Quippè Augusti maxima neptis
Patriæ tandèm dominæ rerum
Reddita septis numine Diuum est;
Tandèm soceri lumina cernet;
Qui placatus sanguine tanto
Vtinàm eiuret veteres iras,
Et cum gemina prole parentem
Insperato reddat honori.

Sic horrifica è nube videmus
Sæpè auricomum fulgere solem.
Tu magnanimæ gloria stirpis,
Matronarum flosque, decusque,
Salue, Agrippæ filia, salue.
Faustè adueneris, ac benè vertat,
Quicquid speras, quicquid & vrges.
Tu modò (tantum detur amori)
Nullo obsequio desine, nulla
Arte senilem flectere mentem;
Priamus qualis adorat Achillem.
Tua, gnatorumquè agitur causa;
Res dissimula penitùs priscas;
Sis memor illum tradere leges,
Eius pendere omnia nutu;
Veniam precibus pete sollicitis;
Quò te lacrymis redimas longis,
Reuoces atque in pristina gressum.
Iam tu es nimìs experta, tuiquè,
Quantùm feriat dextra potentis,
Quàm sit nocuum minimè posse.
Talem superi dent tibi mentem,
Quos imploro, vt singula firment;

Atque vt votis cœpere meis
Aures adeò flectere pronas,
Sic perficiant, ac tua portus
In geniales carbaſa ducant.

Tiberius, Macro.

Tib. R*Egnare dulce eſt; aſsero: ſed qui putet*
Regno beatum fieri in humanis virũ,
Quàm fallitur: faſtigium, potentia,
Opes, acerui munerum, obſequentium
Greges inempti, preſſa militibus ſola,
Sepulta claſſibus maria, Diuum decus,
Haud ſunt profectò tanti, vt vnius metus
Aequent dolores; angor eſt regni comes.
Quæ me flagellant fata! Romanæ rei
Sublime culmen, maximum Auroræ gelu,
Terror Trionum, lectus è Cælo arbiter,
Terræ, mariſque, debeo vilem tamèn
Timere quemuis, dubius, & vitæ impotens.
Heu tantus vndè emergit hic demum furor?
Qui ſunt recentes perduelles hi, mei
Qui ſibi trophæum capitis hodiè deſtinant?
At

At ni solita deest vis, & ingenium mihi,
Quid sit Leones excitare, intelligent.
Verùm altiùs scelerata coniuratio hæc
Originem deducit; isthæc splendida
Vel oppidò sunt stemmata, & clarum genus,
Vel triste claris deuouent auctoribus
Ferrum; hos ad ausus nuda plebs non pertinet.
Mox id patebit, si patebunt impij;
Nec fallat illa, cui referre hanc gratiam
Grauissimum est acceptã; & hic quidẽ mei est
Apex doloris; nam quid ad talem Nurum
Atrocitatis hosticæ, & superbiæ
Accedere vltrà possit? est donum Deum,
Quòd viuo, quòd tractare mihi fasces licet
Hac preferoci liberato à Colchide.
Sed vita prestat: fingere ad tempus iuuat.
Non deerit alia vindicandi occasio;
Haud longiores patitur ingenium moras
Violentum, & immanè appetens nostræ vicis.
Accede, Macro, si quid afferri meas
Dignum est ad aures.

Ma. *Magne Regnantum Pater,*
Ab Artabano Rege Parthorum modò

Ad-

Aduenit hæc epiſtola, & miles tulit
Exercitu è Syriaco, ab Aquilis qui tuis
Domum remiſſus in ſuorum eſt gratiam.
Tib. *Sed Principum non cuique literas decet*
Committere afferendas.
Ma. *In Prouinciam*
Rex miſit ad Proconſulem; ille militem
Nactus paratum digredi, non diſtulit.
Tib. *Quid poſcit Artabanus? an fidem abrogat?*
Ma. *A lege non abhorret iſthuc barbara.*
Tib. *Oratio eſt prolixa; tu quidèm lege;*
Habere teſtem gaudeo, ſi quid mali eſt.

Artabani Parthorum Regis Epiſtola à Macrone perlecta.

Ep. *QVis te ſubegit Tartaro ex imo furor,*
Fæx imperantum?
Tib. *Triſte principium, Macro.*
Quò tendit iſte?
Ep. *Sanguinis probrum tui,*
Iurata nobis poſthabere fœdera?
Tib. *Præſagiendo fallitur rarò ſciens:*

Vt

Vt fœdere hic recedat, ansam præripit.

Ep. *Fastigiumque hoc Arsacis magni inclytum*
Fraudum tuarum vertere in ludibrium?
Quid prisca fingens vincla beneuolentiæ
Palàm, arma mea clàm verticem in meũ cies?

Tib. *Furit profectò neutiquàm compos sui.*

Ep. *Nam quòd Latino è fornice eductum iubes*
Effœminatum, vile mancipium mea
Inire sceptra, nunquid Auroræ, vt lubet,
Donat Quirinus regna? nec regni potens
Sit Artabanus, esse si nolit Nero?

Tib. *At Artabanus ex eodem germine:*
Quin potiùs ille postulantes arguat.

Ep. *Sed Dij, quod æquũ, quodq; iniquũ est, iudicãt,*
Via Phraatem perdidere vt improbum
Malè auspicata; crede, Tiridatem quoquè
Sic Numinum celsa esse perdendum manu,
Tentarit armis arma quà demens mea.

Tib. *Quicquid futurũ huic imminet, nõ es Deus.*

Ep. *Si Artaxidarum te lacessit regia,*
Et iure inani id prætegis, belli aleam
Mecum experiri decuit, atque opponere
Inuicta Romæ pila neruis Parthicis;

 Tùm

Tùm fors, vel ipsa iustior sententiam
Virtus tulisset, læsa nec foret fides.
Armis tribunal continetur Principum.

Tib. *Si venio, Crassum non habebis obuium.*

Ep. *Sed cur silendum? degener maioribus,*
Indignus altis patriæ aris, & focis
Martem exuisti, pastus & vili otio
Agis nefandæ Veneris athletam impigrum;
Matrona si qua nobilis, si qua emicat
Decora facies, pungit hæc tuum latus;
Vel vi, vel astu bella vincis mollia.

Tib. *Perpetuum id est mehercule conuicium.*
Tantumnè fuerim barbaro derisui?

Ep. *Quid nempè memorē strage pollutū improba,*
Cuiusque sexus, ordinis, linguæ, notæ?
Tabo fluentem palpitante regiam
Etiàm tuorum? sæue, crudelis, sinus
Immanitatis hospes: hæc si pagina
Attingat Vrbis inquinata mœnia,
Offendet ea te cæde grassantem truci,
Non liberorum, rapuit hos quandò tuæ
Megæra dextræ, sed nepotum, aut proxima.
Hæc Tigridem sub vltimum fama in meas

Ir-

Irrumpet aures.

Tib. *Dextera in caput meum*
Si nostra surgat, amputabo dexteram.
Parcuntnè Parthi?

Ep. *Scilicèt tales struis*
Senio coronas; terminum vitæ hunc paras:
Hominem nec imperare tot populis pudet
Clarum perenni scelere? Dij vestram fidem?

Tib. *Fidem Deorum implorat, & frangit suam.*

Ep. *En vos Luculli, fulmina & belli duo*
Corneliorum sanguis; en Pauli, & nimis
Tu Magne sortis perfidæ ludibrium,
Cui consecrastis vulnera, & vestrum caput
Prò quo periclis obtulistis vltimis.

Tib. *Hoc scilicèt defuerat, vt vir pessimus*
Ad execrandum suscitaret mortuos.

Ep. *Germanice, ò Germanice, ò cineres mihi*
Nimis dolendi, moribus quantùm tuis
Hæc monstra damnarentur: ira Numinum
Orbi, fuisti quò imperare dignior,
Inuidit hoc plùs Imperi decus tui.

Tib. *Non experiri forsàn in lucro fuit.*

Ep. *Successor ergò, tu lanista, Iulio*

Pudende? tu ſucceſſor Auguſto? nefas:
Quin te phalange quò reſoluas criminum,
Odijſquè iuſtis eximas mortalium,
Iam ſpontè vitam deſeris? quin exigis
Per vile ferrum latus, & hoſtem aſperrimũ
Exterminas è patria, ſi patriam
Diligis? id vnum reſtat, ornare improbos
Quo fas ſit annos: omnis eſt ſcelus mora.

Tib. *Adeſtnè finis, Macro, contumeliæ?*

Ma. *Adeſt, & herclè dixit hìc plùs, quàm ſatis.*

Tib. *Egregia cuncta, cuncta conueniunt probè.*
Sed parce, tua cõſulta ſi haud quaquã ſequor;
Fruſtrà laceſſis, Artabane, Cæſarem;
Viuam inuenuſtus, quatenùs videor tibi &
Vlciſcar armis æmulantum iniurias;
Videbis in quem probra conijcias tua.
Non interim reſcribere eſt æquum; tibi
Romæ Imperator dignitatis addere
Non debet iſthuc. redde, Macro, epiſtolam;
Erit vel vltionis expurgatio,
Si res ad arma venerit; vel ſupprimam
Igni expiandam, ſi ſecùs decreuero.
Regni peculium eſt grande diſſimulatio.

Di-

Ma. *Digna est tuis virtutibus sententia.*
Epistolam ecce Cæsar. ad Nurum tuam
Hùc admouendam iussus actutùm aduolo.

Tib. *Rectè est. Vide tu, Macro, quāta, & qualia*
Committimus fidei tuæ, & quam debeas
Nostræ vicem referre beneuolentiæ.

Ma. *Agnosco celsa munera Augustæ manus;*
Nec vota fallam, maxime ò rerum Arbiter.

Tiberius, Seianus, Laco.

Tib. D*Isceßit; ipse dedecus manu gero:*
Nunc fas dolere. heu miserum, &
abiectum caput;
Quid cogitatis, inferi, & superi ordines?
Quid triste superest? cura non satis prior?
Non sat parari pectori cultros meo?
Mortalium quis abstinet probro? mihi
Quis parcit vsquàm? Liberi longè Patris
Iam notus aris, & Columnis Herculis,
De plebe qualis infima, linguæ notis
Condemnor omnis; Parthus insultat ferox;
Necnon meorum fœditates criminum

Imas recenſens impudentèr obijcit.
Nam ſi velim reſcribere, at perdat Deus,
Si ſuppetit, quid dißeram. pereo, miſer,
Terroris eſca proprij, & inuiſus mihi.
Quæ fama Regum non recludit limina
Infecta, facta proferens? nuſquàm ſumus
Tuti; nefanda labes à ſeruis ſcatet;
Haud quippè nobis hoſtis eſt atrocior.
Aequum foret delere peſtem noxiam,
Exterminare gentem, & agreſti prius
Cultu innocentem ferre ſolitudinem.
Sei. *Lætare, Cæſar, ſaluus es. pereant tuum,*
Quicumque ſitiunt impotentèr ſanguinem.
Tib. *Indexnè verus extitit?*
Sei. *Nihil magìs.*
Crimen tenemus, criminis ſimùl reos.
Tib. *Narrate cuncta ex ordine, vt pœnas parem*
Aequas furori.
Sei. *Meliùs exponet Laco,*
Quæ geſſit ipſe; cætera afferre eſt meum.
La. *Seianus vt me docuit, & iußus tuos,*
Cæſar, recluſit, protinùs ſegnes moras
Fregi, & cohortem rapui ad indictas fores;

Se gaudet vbi Fortuna Romanis coli,
Fumantquè sacri thure Panchæo foci.
Hìc diligentèr excubare militem
Clàm separatum pluribus iussi locis,
Donèc diei primus afflaret sola
Sublustris albor. ecce vix fugæ dare
Nox terga cœpit, quandò diuersi duo
Coire, dextras iungere, amplexu frui.
Vix ambiebat prima lanugo genas;
Aetate multùm haud dispari, nec dispari
Oris habitu, atque morum, & egregiæ indolis;
Ni sordibus quòd ora polluti, & comam,
Decus tegebant.
Tib. *Scena quò tendit? rudes*
Non sunt, nec imæ plebis istæ imagines.
Tu perge fari.
La. *Hìc osculo excepti breui*
Se se ciere voce sunt visi inuicèm,
Decoram vt animis induant audaciam,
Famamquè ad altam se parent. tunc de loco
Sublimiore militi signum dedi.
Statione sic erupit ex omni cohors,
Et penè vallo improuidos circumdedit.

Iniecta vincla, viribus nixi licèt
Contenderènt vim militum deludere.
Deprensa latitans sica vtrique est perbreuis.
Raptos opacat carcer; accitus celer
Seianus adstat; inchoata est quęstio.
Sei. *Imò absoluta.*
Tib. *Ritè rem duxti, Laco.*
Tu, qui absolutam quęstionem nuntias,
Seiane, prome cætera.
Sei. *Actutùm alterum*
Ab altero seiungit, atque interrogat
Quęsitor acer. ipse terrorem augeo.
De stirpe, vilem dictitant; de patria,
Fingunt ad alpes; militandi copiam
Se petere mentiuntur; & sicam negant
Esse ad maleficia: instàr ambo cætera
Eludere obnituntur: ad vim denique
Ventum est; ruuntur membra tortorum manu.
Non flagra pertulere, nec prunæ impetum,
Sed postularunt eximi cruciatibus,
Nihil negaturi omnium, quæ occæperint.
Torquere cessatum est, necem verò illicò
Se cogitasse confitentur Cæsaris,

Cum

Cùm primùm amicę sortis ora cernerent.
Interrogati, cuius ad nutum scelus
Patrare vellent, atque iussi conscios
Edere; moueri spontè retulerunt sua.
Et quia seorsùm singularis quæstio
Isthęc habita fuit, genus suum haud priùs
Aperire consensere, quam iuncti simùl.
Tùm frontis arte comparatas elui
Iußere sordes. hìc aperta est Thespiæ
Cortina Scenæ: Drusus, & Nero tui,
Cæsar, nepotes ore natiuo emicant.

Tib. *Itanè? an perenne sanguinis ludibrium*
Ero furentis huius? & semper domi
Aletur hostis? desinat tandem metus;
Moriantur omnes. nauitèr patrem reor
Illum beatum, qui superstat liberis.
Exprobret Artabanus id, quantùm lubet;
O iusta Cœli Numina, infandum nefas
Quò maximè probetis à vestro procùl
Abeße sensu, per parentem propriam
Mihi execrandos prodidistis liberos.
Sed quì profugit insula infamis Nero?
Qua Drusus atrox vi fefellit carcerem?

Sei. *Neque id minantes ſciſcitari omiſimus.*
Nero in cloacam inſiluit, ac deindè in ſalum;
Protexit at nox alterum, cum ianitor
Somno ſepultus aſſideret oſtio.

Tib. *Tu diſce contumacium ferociam.*
At negligentes oppidò pœnas dabunt,
Fugère quorum crimine; in noſtrum caput
Fuga iſta fuerat, ni vetabat Iuppiter.
Vbiquè ſanguis; ſanguine Imperium manet.
Quæ cauſa porrò ſuaſit auſus horridos?
Quæ ſpes alebat parricidas impios?

Sei. *Nihil ſilebo. fremere, lacrymas fundere,*
Atque eiulare Parthicæ in modum feræ,
Quam turba clauſit obſtinata caſſibus,
Ambo dolore perciti plus, quàm metu;
Iraquè fulminante Druſus æſtuans,
Vincat Tyrannus, inquit, & noſtrum caput
Suæ immolet ſuperbiæ, atque odio truci.
Crudelibus quid parco ſyderibus? fauet
Iuppiter iniquis, & tuetur crimina;
Parent Tyranno cuncta, cuncta prodeunt
Secunda monſtro; noſtra fatorum eſt lues.
Nam quid reliquit ille deteſtabile,

Quod

Quod nos feriret intimè, ac nostrum genus?
Carceribus, exilijs, fame, flagris, notis
Afflixit artus, dignitatem polluit:
Eius nepotes agitat, è cuius manu
Imperij habenas obtinet, semen suis
Maius Sabinis, atque agresti origine.
Quæ nostra culpa est, si coëgit proditos?
Si parricidis spicula in manus dedit?
Moriamur æquo denique hic animo, Nero;
Sanè haud perimus innocentèr mortui;
Noster Tyranno sanguis existet sacer.
Coniuret æther, terra, pontus, Tartarus,
Horrenda monstra misceantur omnia
In hanc cruentam sanguinis pestem sui;
Furijs agatur; ima, summa vertici
Cadant nefando aduersa; Sisiphius lapis,
Vultur Promethei, sudor Ixionius
Sint fabulæ omnes. dira nostros alleuet
Vindicta manes, & profundas auribus
Hanc fama nostris sub tenebras inuehat.
Idem imprecatus Principi est simùl Nero.
Tib. *Infame semen; sed priores limina*
Ipsi videbunt stygia.

Sei. *De me denique,*
Referre si expediret atrocissima,
Quæ de profano prodiere gutture,
Nimis forem molestus, & nimis tuas
Aures morarer. omne consilium mali
De fonte manat peruicacis ingeni
Huius; remotæ, proximæ calumniæ
Meæ fuere prauitatis crimina;
In me retorta probra, contumeliæ, &
Diræ, meumque triste damnatum est caput
Imo Barathri fundo, & infernis rotis.
Sed viue, Cæsar, nulla me mouent meo
Illata capiti turpitèr conuicia,
Minęque nullo territant periculo.
Quodcumque tibi suggesserim, testor Deos
Odio carere, & gratia; optaui tuam,
Princeps, salutem; cęterùm nihil volo.
Euenta porrò veritatis explicant
Infanda lucem; prouoco ad noxas virum.
Tib. *Sit sceleris huius innocens quãquàm parẽs,*
Seiane, peream, ni vetusto à tempore
Dictamen eius extitit: crudi optimè
Agnosco venas laticis, & nidum feræ;

Con-

Consilia pueri non capessunt talia.

Sei. *Iam quid gerendum? magne Regnator, iube.*

Tib. *Dubitasnè? pereant; carcere in ipso induant*
Collo securim; nulla sit facto mora;
Nos, nostra liberemus labe pessima.
Videte verò, quisquis hoc nouit nefas,
Ne fama cædis, aut reorum nomina
Verbosa prodat; postulat silentium
Res tanta Romæ, quodque iam mente apparo.
Iaceant ibidem capita, trunci & simùl,
Dum quæ sit adeò mea voluntas, imperem.
Quapropter, vt cruore crimen lauerint,
Adeste coràm; singula audire est opus.

Sei. *Mandare quicquid libuit, id fiet probè.*

Agrippina, Centurio, Macro.

Agr. Q*Visquis Tyranni limen ingreditur, caput*
Suum Tyranno damnat, & tradit suæ
Arbitrium deprensus & vitæ, & necis.

Cent. *Sperare meliùs disce, Matrona, haud placēt*
Hæc omina.

Arg. *At tu Macro, qua dominus meus*

Gau-

Gaudet salute Cæsar? vt fausta vtitur
Annis senecta in grauibus? ego cœpi quidem,
Pratèr labores, queis anhelant exules,
Iniurias æui experiri iamdiù,
Licèt remota plurimùm à soceri siem
Numero dierum: pondus at verò Imperi
Negotiorum sarcina, & patens ei
Latissimè orbis imminet; quamquàm vigor
Sit mentis acer, attamèn curæ premunt;
Natura nec resistit ægra tempori.

Ma. *Senium profectò Principi est annis graue;*
At firma vis, nec labibus multùm illius
Obnoxia ætatis: pinguiore pondere
Quòd non grauatur corpus, est potens sui.
Init labores vtiles, inambulat,
Atque ad leuamen vtitur negotijs:
Assueta virtus scilicèt negotio,
Cùm non laborat, patitur, & morbo subest.

Agr. *Hunc Dij, Deæq; sospitent, quantùm cupit,*
Quantùm Latinis expedit rebus, bonis
Quæ tot fruuntur eius ob sapientiam.
At qua magistro huiusmodi Caius meus
Virtute crescit? Principi vt morem gerit?

Ad-

Adhùc reliqui paruulum, nondùm probis
Pubebat annis; indolem sanè optimam
Præ se ferebat, sanguine & dignam suo:
Ma. *Imago senis est Caius, atque illi obsequens*
Adusquè curas vltimas, & munia;
Solers, modestus, acer, armorum haud rudis,
Haud literarum; Pallas est ipsi vtraque.
Si militares occupet ludos eques,
Pedesuè campo, sermo nullus exprimat,
Id quàm capessat fortitèr: nec otio
Iners fathiscit: scilicet rebus pares
Natura iuueni finxit artus omnibus.
Procerus ille; flaua Cæsaries, color
Niualis, ipsa Aurora cui miscet rosas
Punicea; sunt blanda ora, robustum latus;
Amor iuuentæ, spes senectutis, decus
Romæ, optet & quem Iuppiter gnatum sibi.
Desiderari haud video quæ dotes queant.
Hoc te parentem gaudio licet frui.
Agr. *In tot procellis aliquid est solatij*
Celso Deorum munere ex vtero meo
Prodisse sobolem laude dignam quapiam.
Pergamus altam porrò, amici, in regiam,

Sic quando pietas me beauit Cæsaris.
Proh quanta simulare est necesse nunc mihi.

Chorus.

IAm Tithonia coniux
Eoo reducem de thalamo pedem
Eduxit roseo pallam circumdata limbo;
Eiecit vmbras desides;
Dimisit tacitæ, sydera, noctis
Ancillulas corusco
Agmine mixtas;
Tanquàm Castorea conditione micent.
Iam Phœbi iubar almum
Egit quadrijuges curriculi rotas
In tractus latè solidæ telluris, & auræ,
Rebus colorem & reddidit,
Nec pulchro sua non gaudia mundo.
Iam sedulus diei
Damna rependit,
Otia quæ noctis pigra tulere, labor.
At dum cuncta recurrunt,
Nunquam lætitiæ lux mihi redditur.

Quod putri cõtingit humo, quod vilibus herbis,
Haud consequi datur mihi.
Succedunt miseris tristia rebus
Hìc sempèr, & cruento
Aemula bello
Purpureos agitant horrida facta lares.
Audio dudum truces
Concipi voces; graui
Gliscit regia turbine;
Retecta coniuratio;
Fassi crimina sontes;
Imminent fœdo capiti secures;
Et cuncta spirant sanguinem:
Nam Principum diuortia
Quì gesta celent omnia?
Heu, temporum quò venimus.
Cæterùm quid sit rei,
Quo noxa constet pectore,
Nuntio nondùm meas
Certo erupit ad aures;
Nec quò se nimbus inferat,
Fas est tangere. certè
Angunt animos ignota mala;

Nequè ſcit dubius parcere rumor.
Nemini porrò libeat timere,
Pulchra cui cordi ſolet eſſe virtus;
Licèt Agrippinæ, proliſque
Dum mentio eſt frequentior,
Nutet mens, atquè ægra laboret.
Vos ſæpè Diuorum mihi
Tutantium rem Romulam
Sanctè inuocata Numina;
Ni diſplicet faſtigium hoc
Vobis nimis iam proximum,
Nam cuncta nobis affluunt
Beata veſtro munere,
Ne temnite innocentium
Præclara geſta ciuium.
Si quid minores egimus
Aduersùs æquum, ſeu fidem,
Donetur actis præuiæ
Virtutis, & ſolertiæ.
Et ſanguinem præ cæteris
Si Auguſti ab alto noſcitis,
Fauete veſtro ſanguini.

Tibe-

Tiberius, Caligula, Seianus.

Tib. *CAi, periclo diſce dominari meo,*
Si quandò dominabere; cupiditas loci,
Quod proximum immortalibus faſtigium,
Communis eſt pleriſquè; penès vnum locus.
Hunc ſuſtinere nauitèr qui neſciat
Aduersùs omnes aleas diſcriminum,
Nec non ſecuri parcat, ac timeat ſuos
Cruore faſces improborum tingere,
Nullius ille eſt Imperator ponderis.
Si quem iuuarit prçterire cætera,
Quòd ad cauendum pertinet regno, & ſibi,
Haud negligẽdum eſt; parcere eſt fatuũ nefas.
Quin membra temnit anguis, vt ſeruet caput.
Neglecta, quanquàm tenuis, occidit lues.
Cal. *Nil, Domine, ſuperaddi poteſt ſapientiæ*
Tuæ: Mineruæ numen, & patrem Iouem
Aequare iure ſpectat ad temet tuo.
Sanè beatum ſentio me hinc vnicè,
Charumquè ſuperis, quòd dederunt ducere
Vitalis auræ ſpiritum vrbe in maxima
Tali magiſtro, & Principe, ac vultu frui.

Regnum meum hoc est; opto prætereà nihil.
Tib. *Sed ecce iam Seianus. è facto ebibes,*
Quod ebibisti è vocibus. nunc impero.
Sei. *Moderator orbis, maximi vices Iouis*
Sub ambitu qui syderum vasto geris,
Iam legibus factum est satis, satis & tibi:
Vixere crudi capitis inimici tui;
Nil restat ad iussa tua; flent cadauera
Adhuc tepentem prouoluta sanguinem,
Consilia perdidere sic cæcos sua.
Tib. *Benè est; probasti ritè mihi tuam fidem;*
Aequum est meam probare beneuolentiam
Me tibi quoque; & probabo, ni vita est minor.
Porrò quod ipsa in cæde nostris auribus
Euenit haud indignum, ab ore vt audiam
Iustum est tuo, Seiane; de quauis nota
Documenta solers capere mortalis potest.
Iuuat scelestos iudicare & mortuos.
Sei. *De morte postquam nuntiatum, & milites*
Stetere coràm, nec securis abfuit,
Pallor repentè gelidus infecit genas;
Mox spiritum resumere, atque audaciam;
Nilq; execrãdum omittere in tuum, in meum
Cæ-

Cœpere nomen, Cæsar, atquè vltum Deos
Vocare sanctos, siuè teneant sydera,
Siuè ima noctis, & cauernas manium.
Eademq; rursùm mõstra, quæ dederant priùs,
Vomuere fœdo ab ore, proùt dictat dolor
Labis retectæ, liuor, indignatio,
Horrorq; ob oculos constitutæ iam necis.
Nerone Drusus oppidò ferocior.
Constantèr obtulere dein ferro caput;
Quamquè excitarant improbè Tragœdiam,
Suo retortam finierunt sanguine.

Tib. *Miseri nepotes, sceptra qui nati ad Deùm*
Vestris sceleribus, & furore perciti
Sæuire me iussistis in vestrum caput.
Seiane, vtrique puberum cadaueri
Debeo tibi explicare, quid fieri velim;
Sed ipse coràm interero. Agrippinam interìm
Vocate; iuuat aspicere, nec solatio
Fraudare Neptem perpete afflictam malo,
Et prò beneficio referre gratiam;
Quippè eius vno viuo tandèm munere.
De liberis silentium; satis scio,
Quid nostra deceat sceptra, quid pietas velit.

Caligula.

RApido assecutus Aelium quidèm gradu
Interfui, dum iussus abscessit Laco;
At cum fugacis persequi vestigia
Drusi pararem per meorum industriam,
In rete gemini en decidunt cæcum rei.
Nec mora, patescunt nomina, atq; vnũ mihi
Cum peterẽ, vtrique obtulere se fratres, velùt
Si quis Neronem duxerit manu Deus
Momento eodem, facta quo Drusi est fuga.
Quin commodè egit Artabani epistola,
Meos quæ in vsus efferauit Cæsarem.
Successio est iam tuta, iam liquet mea
Placere fatis sceptra, cùm Dij fauerint
Vltrà precantis ambitum, & cupidinem.
Sic cuncta me superna, me terrestria
Orbi regundo destinant concordia.
Nihil afficit me natus è Druso puer,
Druso parentis imperantis filio,
Ineptus armis, impotens & artium,
Queis regni habenæ ritè tractantur graues.

Hi

Hi me capaces commouebant obijces,
Natu priores, iure potiores meo,
Quos nec Senatus abnuat, nec milites.
Periere, ſed perire proùt decet reos;
Periere, ſed furore damnati ſuo:
Tolerare cum nequiuerint iuſtam moram,
Suaptè diligentia ſunt obruti.
Fraterna mecùm nulla pratèr ſanguinem,
Habent profectò perfidi commercia.
Eſt flere res ſacrilega, probro & pari
Cenſetur ille prauitatis pollui,
Qui talibus parentat, & dat lacrymas,
Ac parricida, qui necarit Principem.
Tamèn quià luculenta vis eſt ſanguinis,
Quodcunque durus Imperator cogitet
(Sat quippè ſenſi, qui futurus exitus)
Vitare vultus ſtatuo, ne turbet parens
Afflicta fortè, aut triſtius ſpectaculum
Horrore quatiat. ſæpè vel magni viri
Vi ſanguinis ceſſere. Si frontem pater
Obſeruet vllo nempè læſam turbine,
Actum eſt, nec orbis fræna, nec vitæ fides
Conſtare poſſunt; illicò ſequor meos.

Non iste alumnum subdolus fallit senex ;
Nec quod ferendo longa quæsiuit dies ,
Momento omittam . præstat aut claudi domi,
Aut persequi per nemora salientes feras ,
Donèc pericli vis propinqui detonet.
Faciam , quod ex vsu esse coniectauero .
Absint remota lumina , in tuto sumus.

Agrippina , Macro, Tiberius , Centurio .

Agr. *SVnt fausta initia , splendido in portu ferox*
Ni me Fortuna mergit : haud nequeo meum
Timere fatum . Macro , quò Cæsar loci
Iubet se adiri ?
Ma. *Longa nequaquàm est via ;*
En ipse coràm prosilit.
Agr. *Cæsar , pater.*
Tib. *Filia ; nequè ego tenere lacrymas queo ;*
Cent. *O Dij boni , quàm debeo vobis , rei*
Qui tàm decoræ me dedistis vindicem.
Agr. *Videre quemdam videor è Cælo Deum .*

Tib. *Charissima ò rerum mihi, ò decus meum;*
Quàm me laborum, sortis & duræ piget
Tuæ: malorum causa sed sola haud ego,
Haud tu, nec alius quilibet, qui pectori
Nostro fauillas ignium suggesserit.
Dij plura, fatum plura vult; Parcæ omnia
Nent arbitratu syderum; nemo est reus.
Grates ago nunc maximo Diuum Ioui,
Cuius resurgunt saniora munere.
Socer ipse, pater ipse bonus, & clemens ero;
Tanto meo in discrimine agnoui tuum
Nimirùm amorem, expertus & fidem fui.
Hæc vita posthàc debita est tibi; hic aget
Auras tibi obses spiritus. metum, Nurus,
Omitte priscum; nascitur rerum nouus
Ordo; recedant mentibus mæsti dies.

Cent. *Sumus beati; maius optandum est nihil.*

Agr. *Quæ digna vox sufficiat, aut quæ gratia*
Donis rependi talibus, Rex inclyte
Regum? Deorum hæc esse te certum genus
Probat alta pietas, cladibus cum me asperis
Hucusquè fractam concupitæ destinas
Diis quieti. præmia haud segnes tibi

In-

Sei. *De me denique,*
Referre si expediret atrocissima,
Quæ de profano prodiere gutture,
Nimis forem molestus, & nimis tuas
Aures morarer. omne consilium mali
De fonte manat peruicacis ingeni
Huius; remotæ, proximæ calumniæ
Meæ fuere prauitatis crimina;
In me retorta probra, contumeliæ, &
Diræ, meumque triste damnatum est caput
Imo Barathri fundo, & infernis rotis.
Sed viue, Cæsar, nulla me mouent meo
Illata capiti turpitèr conuicia,
Minęque nullo territant periculo.
Quodcumque tibi suggesserim, testor Deos
Odio carere, & gratia; optaui tuam,
Princeps, salutem; cęterùm nihil volo.
Euenta porrò veritatis explicant
Infanda lucem; prouoco ad noxas virum.
Tib. *Sit sceleris huius innocens quãquàm parẽs,*
Seiane, peream, ni vetusto à tempore
Dictamen eius extitit: crudi optimè
Agnosco venas laticis, & nidum feræ;
Con-

Consilia pueri non capessunt talia.

Sei. *Iam quid gerendum? magne Regnator, iube.*

Tib. *Dubitasnè? pereant; carcere in ipsô induant*
Collo securim; nulla sit facto mora;
Nos, nostra liberemus labe pessima.
Videte verò, quisquis hoc nouit nefas,
Ne fama cædis, aut reorum nomina
Verbosa prodat; postulat silentium
Res tanta Romæ, quodque iam mente apparo.
Iaceant ibidem capita, trunci & simùl,
Dum quæ sit adeò mea voluntas, imperem.
Quapropter, vt cruore crimen lauerint,
Adeste coràm; singula audire est opus.

Sei. *Mandare quicquid libuit, id fiet probè.*

Agrippina, Centurio, Macro.

Agr. Q*Visquis Tyranni limen ingreditur, caput*
Suum Tyranno damnat, & tradit suæ
Arbitrium deprensus & vitæ, & necis.

Cent. *Sperare meliùs disce, Matrona, haud placēt*
Hæc omina.

Arg. *At tu Macro, qua dominus meus*

Gau-

Gaudet ſalute Cæſar? vt fauſta vtitur
Annis ſenecta in grauibus? ego cœpi quidem,
Pratèr labores, queis anhelant exules,
Iniurias æui experiri iamdiù,
Licèt remota plurimùm à ſoceri ſiem
Numero dierum: pondus at verò Imperi
Negotiorum ſarcina, & patens ei
Latiſſimè orbis imminet; quamquàm vigor
Sit mentis acer, attamèn curæ premunt;
Natura nec reſiſtit ægra tempori.
Ma. *Senium profectò Principi eſt annis graue;*
At firma vis, nec labibus multùm illius
Obnoxia ætatis: pinguiore pondere
Quòd non grauatur corpus, eſt potens ſui.
Init labores vtiles, inambulat,
Atque ad leuamen vtitur negotijs:
Aſſueta virtus ſcilicèt negotio,
Cùm non laborat, patitur, & morbo ſubeſt.
Agr. *Hunc Dij, Deæq; ſoſpitent, quantùm cupit,*
Quantùm Latinis expedit rebus, bonis
Quæ tot fruuntur eius ob ſapientiam.
At qua magiſtro huiuſmodi Caius meus
Virtute creſcit? Principi vt morem gerit?
Ad-

Adhùc reliqui paruulum, nondùm probis
Pubebat annis; indolem sanè optimam
Præ se ferebat, sanguine & dignam suo:
Ma. *Imago senis est Caius, atque illi obsequens*
Adusquè curas vltimas, & munia;
Solers, modestus, acer, armorum haud rudis,
Haud literarum; Pallas est ipsi vtraque.
Si militares occupet ludos eques,
Pedesuè campo, sermo nullus exprimat,
Id quàm capessat fortitèr: nec otio
Iners fathiscit: scilicet rebus pares
Natura iuueni finxit artus omnibus.
Procerus ille; flaua Cæsaries, color
Niualis, ipsa Aurora cui miscet rosas
Punicea; sunt blanda ora, robustum latus;
Amor iuuentæ, spes senectutis, decus
Romæ, optet & quem Iuppiter gnatum sibi.
Desiderari haud video quæ dotes queant.
Hoc te parentem gaudio licet frui.
Agr. *In tot procellis aliquid est solatij*
Celso Deorum munere ex vtero meo
Prodisse sobolem laude dignam quapiam.
Pergamus altam porrò, amici, in regiam,

Sic quando pietas me beauit Cæsaris.
Proh quanta simulare est necesse nunc mihi.

Chorus.

IAm Tithonia coniux
Eoo reducem de thalamo pedem
Eduxit roseo pallam circumdata limbo;
Eiecit umbras desides;
Dimisit tacitæ, sydera, noctis
Ancillulas corusco
Agmine mixtas;
Tanquàm Castorea conditione micent.
Iam Phœbi iubar almum
Egit quadriiuges curriculi rotas
In tractus latè solidæ telluris, & auræ,
Rebus colorem & reddidit,
Nec pulchro sua non gaudia mundo.
Iam sedulus diei
Damna rependit,
Otia quæ noctis pigra tulere, labor.
At dum cuncta recurrunt,
Nunquam lætitiæ lux mihi redditur.

Quod

Quod putri cōtingit humo, quod vilibus herbis,
Haud consequi datur mihi.
Succedunt miseris tristia rebus
Hìc sempèr, & cruento
Aemula bello
Purpureos agitant horrida facta lares.
Audio dudum truces
Concipi voces; graui
Gliscit regia turbine;
Retecta coniuratio;
Fassi crimina sontes;
Imminent fœdo capiti secures;
Et cuncta spirant sanguinem:
Nam Principum diuortia
Quì gesta celent omnia?
Heu, temporum quò venimus.
Cæterùm quid sit rei,
Quo noxa constet pectore,
Nuntio nondùm meas
Certo erupit ad aures;
Nec quò se nimbus inferat,
Fas ést tangere. certè
Angunt animos ignota mala;

Nequè scit dubius parcere rumor.
Nemini porrò libeat timere,
Pulchra cui cordi solet esse virtus;
Licèt Agrippinæ, prolisque
Dum mentio est frequentior,
Nutet mens, atquè ægra laboret.
Vos sæpè Diuorum mihi
Tutantium rem Romulam
Sanctè inuocata Numina;
Ni displicet fastigium hoc
Vobis nimis iam proximum,
Nam cuncta nobis affluunt
Beata vestro munere,
Ne temnite innocentium
Præclara gesta ciuium.
Si quid minores egimus
Aduersùs æquum, seu fidem,
Donetur actis prauiæ
Virtutis, & solertiæ.
Et sanguinem præ cæteris
Si Augusti ab alto noscitis,
Fauete vestro sanguini.

Tiberius, Caligula, Seianus.

Tib. *CAi, periclo disce dominari meo,*
Si quandò dominabere; cupiditas loci,
Quod proximum immortalibus fastigium,
Communis est plerisquè; penès vnum locus.
Hunc sustinere nauitèr qui nesciat
Aduersùs omnes aleas discriminum,
Nec non securi parcat, ac timeat suos
Cruore fasces improborum tingere,
Nullius ille est Imperator ponderis.
Si quem iuuarit prȩterire cætera,
Quòd ad cauendum pertinet regno, & sibi,
Haud negligēdum est; parcere est fatuū nefas.
Quin membra temnit anguis, vt seruet caput.
Neglecta, quanquàm tenuis, occidit lues.
Cal. *Nil, Domine, superaddi potest sapientiæ*
Tuæ: Mineruæ numen, & patrem Iouem
Aequare iure spectat ad temet tuo.
Sanè beatum sentio me hinc vnicè,
Charumquè superis, quòd dederunt ducere
Vitalis auræ spiritum vrbe in maxima
Tali magistro, & Principe, ac vultu frui.

Regnum meum hoc eſt; opto prætereà nihil.
Tib. *Sed eccè iam Seianus. è facto ebibes,*
Quod ebibiſti è vocibus. nunc impero.
Sei. *Moderator orbis, maximi vices Iouis*
Sub ambitu qui ſyderum vaſto geris,
Iam legibus factum eſt ſatis, ſatis & tibi:
Vixere crudi capitis inimici tui;
Nil reſtat ad iuſſa tua; ſtent cadauera
Adhuc tepentem prouoluta ſanguinem,
Conſilia perdidere ſic cæcos ſua.
Tib. *Benè eſt; probaſti ritè mihi tuam fidem;*
Aequum eſt meam probare beneuolentiam
Me tibi quoque; & probabo, ni vita eſt minor.
Porrò quod ipſa in cæde noſtris auribus
Euenit haud indignum, ab ore vt audiam
Iuſtum eſt tuo, Seiane; de quauis nota
Documenta ſolers capere mortalis poteſt.
Iuuat ſceleſtos iudicare & mortuos.
Sei. *De morte poſtquam nuntiatum, & milites*
Stetere coràm, nec ſecuris abfuit,
Pallor repentè gelidus infecit genas;
Mox ſpiritum reſumere, atque audaciam;
Nilq; execrãdum omittere in tuum, in meum

Cæ-

Cæpere nomen, Cæsar, atquè vltum Deos
Vocare sanctos, siuè teneant sydera,
Siuè ima noctis, & cauernas manium.
Eademq; rursùm mōstra, quæ dederant priùs,
Vomuere fœdo ab ore, proùt dictat dolor
Labis retectæ, liuor, indignatio,
Horrorq; ob oculos constitutæ iam necis.
Nerone Drusus oppidò ferocior.
Constantèr obtulere dein ferro caput;
Quamquè excitarant improbè Tragœdiam,
Suo retortam finierunt sanguine.

Tib. *Miseri nepotes, sceptra qui nati ad Deùm*
Vestris sceleribus, & furore perciti
Sæuire me iussistis in vestrum caput.
Seiane, vtrique puberum cadaueri
Debeo tibi explicare, quid fieri velim;
Sed ipse coràm interero. Agrippinam interìm
Vocate; iuuat aspicere, nec solatio
Fraudare Neptem perpete afflictam malo,
Et prò beneficio referre gratiam;
Quippè eius vno viuo tandèm munere.
De liberis silentium; satis scio,
Quid nostra deceat sceptra, quid pietas velit.

Caligula.

Rapido assecutus Aelium quidèm gradu
Interfui, dum iussus abscessit Laco;
At cum fugacis persequi vestigia
Drusi pararem per meorum industriam,
In rete gemini en decidunt cæcum rei.
Nec mora, patescunt nomina, atq; vnũ mihi
Cum peterẽ, vtrique obtulere se fratres, velùt
Si quis Neronem duxerit manu Deus
Momento eodem, facta quo Drusi est fuga.
Quin commodè egit Artabani epistola,
Meos quæ in vsus efferauit Cæsarem.
Successio est iam tuta, iam liquet mea
Placere fatis sceptra, cùm Dij fauerint
Vltrà precantis ambitum, & cupidinem.
Sic cuncta me superna, me terrestria
Orbi regundo destinant concordia.
Nihil afficit me natus è Druso puer,
Druso parentis imperantis filio,
Ineptus armis, impotens & artium,
Queis regni habenæ ritè tractantur graues.

Hi

Hi me capaces commouebant obijces,
Natu priores, iure potiores meo,
Quos nec Senatus abnuat, nec milites.
Periere, ſed perire proùt decet reos;
Periere, ſed furore damnati ſuo:
Tolerare cùm nequiuerint iuſtam moram,
Suaptè diligentia ſunt obruti.
Fraterna mecùm nulla præter ſanguinem,
Habent profectò perfidi commercia.
Eſt flere res ſacrilega, probro & pari
Cenſetur ille prauitatis pollui,
Qui talibus parentat, & dat lacrymas,
Ac parricida, qui necarit Principem.
Tamèn quià luculenta vis eſt ſanguinis,
Quodcunque durus Imperator cogitet
(Sat quippè ſenſi, qui futurus exitus)
Vitare vultus ſtatuo, ne turbet parens
Afflicta fortè, aut triſtius ſpectaculum
Horrore quatiat. ſæpè vel magni viri
Vi ſanguinis ceſſere. Si frontem pater
Obſeruet vllo nempè læſam turbine,
Actum eſt, nec orbis fræna, nec vitæ fides
Conſtare poſſunt; illicò ſequor meos.

Non iste alumnum subdolus fallit senex ;
Nec quod ferendo longa quæsiuit dies ,
Momento omittam . præstat aut claudi domi,
Aut persequi per nemora salientes feras ,
Donèc pericli vis propinqui detonet.
Faciam , quod ex vsu esse coniectauero .
Absint remota lumina , in tuto sumus.

Agrippina, Macro, Tiberius, Centurio.

Agr. S*Vnt fausta initia , splendido in portu ferox*
Ni me Fortuna mergit : haud nequeo meum
Timere fatum . Macro , quò Cæsar loci
Iubet se adiri ?
Ma. *Longa nequaquàm est via ;*
En ipse coràm prosilit.
Agr. *Cæsar , pater.*
Tib. *Filia ; nequè ego tenere lacrymas queo ;*
Cent. *O Dij boni , quàm debeo vobis , rei*
Qui tàm decoræ me dedistis vindicem.
Agr. *Videre quemdam videor è Cœlo Deum.*

Cha.

Tib. *Charissima ò rerum mihi, ò decus meum;*
Quàm me laborum, sortis & duræ piget
Tuæ: malorum causa sed sola haud ego,
Haud tu, nec alius quilibet, qui pectori
Nostro fauillas ignium suggesserit.
Dij plura, fatum plura vult; Parcæ omnia
Nent arbitratu syderum; nemo est reus.
Grates ago nunc maximo Diuum Ioui,
Cuius resurgunt saniora munere.
Socer ipse, pater ipse bonus, & clemens ero;
Tanto meo in discrimine agnoui tuum
Nimirùm amorem, expertus & fidem fui.
Hæc vita posthàc debita est tibi; hic aget
Auras tibi obses spiritus. metum, Nurus,
Omitte priscum; nascitur rerum nouus
Ordo; recedant mentibus mœsti dies.
Cent. *Sumus beati; maius optandum est nihil.*
Agr. *Quæ digna vox sufficiat, aut quæ gratia*
Donis rependi talibus, Rex inclyte
Regum? Deorum hæc esse te certum genus
Probat alta pietas, cladibus cum me asperis
Hucusquè fractam concupitæ destinas
Diù quieti. præmia haud segnes tibi

In-

Indulgeant Dij merita, & omnipotens Pater.
Tibi nullus æui terminus, nullus tibi
Felicitatis. nec pigebit triſtibus
Soluiſſe miſeros lacrymis; ego, & mea
Soboles fidem præſtabimus adamantinam,
Dum membra ſtabunt, dum reflabit ſpiritus.
Tib. *Sed iam decet præbere Nurui ampliſſimæ*
Pignus meæ non vile beneuolentiæ,
Sibi vndè cauſas habeat æternæ ſpei.
Afferte, famuli, quæ paraſtis munera.
Agr. *Vt mea cientur viſcera, vt vereor dolos.*
Tib. *Quod optimũ à me poterat offerri, hoc cape.*
Auferte velamen.
Agr. *Nefas.*
Tib. *Quid diſplicet?*
Cẽt. *Heu, heu, quid hoc eſt? variat vt Cęlũ vices?*
Tib. *Tuere, quanti fecerim indicium tuum:*
Quos detuliſti texere exitium mihi,
Hi ſunt profectò; agnoſce crudeles reos.
Agr. *Heu me dolentem fœminã: Druſus, Nero:*
Mea lumina, ecquid cernitis?
Tib. *Quiſquis ſiet*
Vterquè, debes plurimùm ambobus, tibi
Quippè

Quippè impetrarunt vt nocenti parcerem.

Cent. *Infamis, ergò liberos huius neci*
Ego prodidi? hæc officia debebam optimæ?
Non viuam.

Agr. *At ò ſceleſte, ſic donas nurum?*
Sic lacrymæ de corde ſincero fluunt?
Sic ludis afflictam ore; dum plectis manu?

Tib. *Sic tu mereris; iure non abeo ab tuo.*

Cent. *Præceps inibo mortis infandæ viam:*
Eſt enſis impar; crimen exemplo caret.
Non ſuſtinet me terra, non patitur Polus,
Non lumina inſpectare ſunt potis mea.
Quid moror?

Agr. *An id non ipſa præſenſi ociùs?*
Proh Dij, ſtupebam, ſicùt in miraculo,
Humanitatis induiſſe viſcera
Hanc tigridem adeò more diſcretam ſuo,
Hæc me parentem cogis ad ſpectacula?
Dij, inquam, Thyeſtæ proximam qui me facit,
Crudeliorem Thraciæ monſtris plagæ
Obruite, fulminate, præcipitem date;
Cui veſtra inertes ſpicula adſeruant manus?
Vos ò Barathri ſulphure horrendi ſpecus,

La-

Laxate postes, deuorate barbarum;
Omnia profundi monstra in vnũ hũc vertite;
Nemo Tyrannorum æquior sit victima
Vestris caminis. Scilicèt tot cædibus,
Cruente, deerant liberi tandèm mei?
Tib. *Deesse noluere; natiua indoles*
Iussit perire crimine infames suo.
Satis est; erant tui.
Agr. *Ista sed quonam modo*
Constare possunt? alter amotus procùl,
Importuosæ & mancipatus insulæ;
Alter perarcto carceri; discreti inuicèm,
Tellure quantum distat æther infima
Quibus coire somniarunt artibus?
Probè hæc vetustis conuenit calumnijs.
Tib. *Fugère; pœnam scilicèt leuissimam*
Fastidientes, quærerent vt debitam.
Hæc vis sceleris est, atquè prouidentia
Solers Deorum. fallitur nunquàm Polus.
Porrò tuum nil me afficit conuicium;
Ipsi ore proprio prodiderunt se reos:
Num demorer? num cuspidem opperiar sinu?
Quid plura? te misisse chartas indices.

Sceleris negabis? & prehendi conscios,
Fortuna sacro Diua quà colitur loco,
Monuisse? quin tulisse in hos sententiam,
Extinguerentur ipsi, vt ego non occidam?
Nescit libellus iste mentiri, ò Nurus:
Tibi obsecutus sum; herculè non sum ferus.
Agr. *Detur; fugaces venerint, fuerint simùl:*
At prodiderunt, quicquid immanis metu
Tortor coegit: cæterùm auxilijs quibus?
Qua mole nixi? crimini tanto pares
Haud sunt inermi puberes: quis non videt?
Tib. *Metitur animus se ipse, non vires, ferox:*
Nec prima labes ista: vos durum genus
Flantes ab incunabulis superbiam,
Hostes quietis, & furore perciti
Fouetis in me pectus implacabile.
Quid, oro, inausum, miseri, & intactũ manu
Liquistis, est libido dum corda Imperi,
Quod mihi gerendum, neutiquàm vobis, dedit
Mortalium, immortalium consensio?
Vobis veneficij insimulor, & dicor Deùm
Contemptor; vrbem vos adeò, & Capitolium
In me cietis; carceres, & insulas

Vos fallitis; ferrum indere in pectus mihi
Tentatis. est infensa quàm vestra hæc meo
Capiti cupido, atque impotens dementia,
Tàm vos supernis, inferisque viribus
Inuisi abitis. æqua lanx est Numinum;
Ipse innocens reseruor, at vos irritis
Conatibus delusi, egentes, exules,
Et sæpè vitæ termino pœnas datis.
Nam quid potest illustriùs causam meam
Probare demùm? quæ patentior vltio,
Quàm matre ab ipsa venditari liberos
Etiàm ad secures, dum fauere cogitat?
Exempla non inuenio: fata vos trahunt.

Agr. *Te te innocentem scilicèt? te Numina*
Curent pudoris, aut honesti vindicem?
Tantùm hic sibi ausit optimis promittere
De Dijs Procustes? grauiùs at certè vt premãt;
Pœnis rependent tarditatem pessimis.
Esto; pararint liberi, quæ tu vomis,
Quem non tyrannis pellat in flagrans tua
Odium? quæ humus te perferat, nisi impia?
Fac liceat, orbis totus in tuum caput
Coibit, ac se victimam gratam Polo

Of-

Offerre credet, tale si monstrum auferat.
Si tibi fuissent æqua, non crudelia
Curæ, sat infelicibus non parcere,
Sat clàm cruore, an lacte dicam? proximo
Malè auspicatam polluisse dexteram;
Sed euocare immanitate barbara
Spectacla ad hæc horrenda matris lumina,
Atrox id odium est; animus enormis sinu
Nequit latere. pignora, heu, ventris mei,
Mea spes, meum solamen, & decus meum,
Hùc vos adegit pessimus mortalium.
Oculum reliquit alterum Centurio
Mihi trux ad hanc imaginē, vt vos proditos
Possim tueri, & perditos. nefas; dolor;
Heu, heu Tyrannus pascitur nostris malis;
Pascatur.

Tib. *At tu morere, præstat nisi*
Ductare vitam longiùs, quò longiùs
Supplicia subeas plura, plures, & neces
Tua, & tuorum parricidia expient.

An-

Ancillæ, Chorus, Agrippina.

An. HEu Domina, quam te cernimus? quæ munera
Tibi, heu, fuerunt ista? num tantus furor
Humana raptat pectora aduersùm suos?
Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu.
Cho. *Hic eiulatu, iurgijs, clamoribus*
Mihi personare visus est pridem locus.
Aequum est opem præbere, si quis indiget.
Haud nascimur dumtaxàt vsum in propriũ.
An. *Viuit profectò, viuit at quonam modo*
Fouere dabitur destitutam viribus,
Dum destitutas solitudo nos tenet?
Facto est, soror, opus, lacrymæ nihil iuuant,
Nunc, ille quandò rettulit procùl pedem.
Cho. *Audio querelas rursùs.*
An. *En superi vt boni*
Mittunt virorum robur auxilio pijs.
Accurre quæso, accurre, quisquis es propè;
Accurre; opus te ingenuum, & acceptũ vocat
Amantibus Dijs iura misericordiæ;
Accede,

Accede, Ciuis optime; haud mora est opus.
Cho. *Sollicita vox, quæ reycit segnem gradum.*
An: *Hùc, hùc, Quirites, hùc adeste.*
Cho. *Fœminas.*
Video. Sed ò quæ monstra? quæ spectacula?
Quàm dira facies? capita horrescunt duo
Resecta collo; fœmina extincta est propè,
Geminæquè iuxtà fletibus genas rigant.
Funesta quæ sunt ista? quæ rerum vices?
An. *Ne metuite, senes optimi, & miserrimæ*
Huic subuenite, principi quondàm inclytæ,
Generi Deorum, coniugi augusti Ducis.
Viuet, si opem feratis, ac detis manum.
Cho. *Quæ sunt recisa guttura?*
An. *Hi sunt filij,*
Et dona matri tradita miserabili,
Drusus, Neroquè.
Cho. *Nunquid hæc Germanici*
(Heu nomen oculis vsquè deflendum meis)
Coniux? Agrippæ filia? Augusti genus?
An. *Ipsa est: perisse liberos calumnijs*
Vt vidit aspris, indicarat nescia
Quos Imperanti, præ dolore elanguit.

Tu deindè noris ſingula; horarum moram
Hæc longiorem poſtulat narratio,
Cho. *Nefaſnè tantũ? proh Deũ, pròh hominũ fidẽ:*
Cum viſa ſpes eſt his ſalutis plaudere,
Tùm lapſa retro machina in præceps ruit,
Et noſtra riſit vota Diuorum Pater.
Infecit ora pallor; & frontem occupat
Gelu. ſinum laxate, paulùm attollite,
Anima excitetur vt priora ad munia.
An. *Reſpirat, & corde intimo gemitum trahit:*
Vitam tenemus.
Cho. *Fletus, & motus graui*
Sopita caſu prouocauit viſcera.
Regina, viue cladibus ſemper tuis
Duris ſuperſtes. flexa ſuſtollit caput
Celſum cupreſſus. alta ſublimes decent.
Haud ſempèr horret grãdine, ac nimbis polus.
Auferte vos ſpectacula, mulieres, fera,
Quæ non tuentur lumina, hæc mentem minùs
Quatiunt: dolori, & gaudio hæ ſunt ianuæ.
Agr. *Heu, vita, quàm durũ eſt trahere dies tuos.*
At quò receſſit carnifex? probrum ſoli?
Odium Deorum? peſſima Imperij lues?

Quò

Quò se recepit? abditus Cælo haud eris,
Si facta sunt Cælestibus curæ impia,
Coluber veneno exuberans, non squallidæ
Imperuius caligini inferni lacus.
Sed vlceratam hæc altiùs fiducia
Mentem insupèr solatur, haud de sanguine
Mox defuturos vindices nostro, tuos
Impunè canos qui sepulchro haud inferant.
Vel id tuebor ipsa, vel manes mihi
Miserta fama perferet sub intimos.

Cho. *Remitte paulum, Domina, de tot questibus:*
Laniena vulnus asperat, non vulneri
Medetur.

Agr. *Ast hic nimius est dolor meus,*
Ciues benigni; quippè Ciues censeo;
Exempla sortem nulla pertingunt meam;
Cruda sub Arcto quæ fera est deterrima,
Haud præstitisset, quæ Tyrannus præstitit.
Deest nunc quid olli? summa votorū oppidò
Obtinuit; vltrà nulla suppetit domi
Materia sæuiendi, & auidas sanguine
Fauces rigandi. mater, heu quo te loco
Abiecit alti germen Augusti vnicum?

Quò te, pudici dulcis, heu, consors thori?
Me deniquè vt afflixit, & gnatos meos?
Tormenta norunt scopuli, & offensum mare;
Testantur ora diminuta, & turpia.
Quin & Latinas cum præirem fœminas
Intactæ honesto castitatis nomine,
Nonnè ausus est meæ improbus famæ quoquè,
Quæ fama vita est nempè matronis prior,
Violare fœdo candidum labio decus;
Et venditare, ceu pudoris impotem?
At liberos occidere, oculis subdere
Necnon parentis sub colore munerum,
Atrei cruentum æquiparat infandi scelus.
Testes domi non vult suorum criminum,
Non vult coarguentem. At aliquis dixerit;
Tamèn diei Caius aura vescitur,
Et educatur prosperè domi illius.
Haud nego; sed iste Caius, est quisquis supèr,
Ipsius opus est oppidò; non est meus.
Eccè innocentes victimæ plures tibi,
Seiane, iam corruimus; haud vetitū est modò
Metu soluto pergere ad fastigium.
Te iam subactus duplicato poplite

Ado-

Adoret orbis; pronus ad iussa euolet.
Spero tamèn te proximum fatis meis
Iam iam futurum: spero luiturum nefas;
Diuina ni, atquè humana fallunt me omnia,
Inulta non relinquar.

An. *Aequum absistere est,*
Regina, luctu, & mollibus stratis domi
Latus fouere, dura dum species mali
E' mente paulùm concitata diffluat.
Hìc te iacere haud decoris est planè tui:

Cho. *Non audit illa, nec capax solatij est*
Immensa vis doloris. & quidèm haud scio,
Eruperitnè casus vnquam atrocior
Fatorum ab vtero. maximos at maxima
Feriunt profectò fulmina, & Cælum tonat
In proximas iratus imagines sibi.

Agr. *Heu, mors, volucres cæteris, segnes mihi*
Quàm nacta plantas; latebra quæ te distinet?
Quæ te cauerna inhospitalis Caucasi?
Sed sentio, ni fallor, haud procùl sonum
Venientis; vrgebo ipsa, & in manus ruam.

An. *Ne, Domina; fugiat omen in Scythas truces.*

Agr. *Sed quis mea mihi eripuit audax munera?*

Quis abdicauit ora gnatorum procùl ?

Cho. *Ne longiùs , Regina , ne obtutu malum*
Nutri , nequè escas adde sæuis ignibus .
Non hæc saluti conuenit species tua .

Agr. *Quamnã salutẽ quærităe? aut nulla est salus*
Fractæ parenti , aut vna gnatos cernere ,
Vtcumquè mutum diffluunt in sanguinem ,
Manu salus est tangere , & pallentibus
Incumbere , ac si detur , illis immori .
Reddite recisa colla : vosnè etiam hostibus
Manum dedistis ? reddite informes genas :
An vile redeant barbaris ludibrium ?

An. *Spectaculum non abnuo , quandò id iuuat .*

Cho. *Tu mulier , huic nocentèr indulges nimìs .*

Agr. *Heu, matris olim columen, & decus, ferox*
Turbaret altam cum libido syderum
Nondùm quietem; misera præ cunctis parens,
Vos tandem olympi semen , exilio , & lare
De carceris qua fronte , quo reduces modo
Accipio ? quales luminum cerno orbitas ?
Iam strata virtus; restat, heu, quæ spes mihi ?
Caiusnè forsan suberit auxilio puer ,
Qui diritatem barbaro è Cælo bibit

Oriens ?

Oriens? qui Aui longo hausit ingeniũ, & dolos
Vsu? sed æquum abijcere sollicitudinem
Prò me; quid vltrà prosit, aut placeat mihi?
Vos filij, vos sceptra maiorum domi
Quos expetebant, quos manebant Parthici
Forìs triũphi, ac Teuthonũ spolia, & manus
Reuinctæ ad axes, antè me spectaculum
Atrox iacetis, horrido & tabo fluens.
Vos ipsa, vos ego ipsa mactandos dedi
Infanda mater, obtulique faucibus
Pastum Tyranni. rebus, heu, nimium, Probe,
Infauste nostris; fuerat vt melius tua
Perijsse te de puppe, quàm me consequi;
Heu genite clades in meas. sed transfero
Cur aliò originem mali, præter mea
In cæca vota, atque malè consultam fidem?
Vos innocentes liberi, si spiritus
Hàc vestri oberrant, agite, crudelem, impiam
Raptate matrem, sola quæ vobis diem
Eripuit, haud quem sola potuerat dare;
Raptate; Orestes sorte sit melior mea;
Vos liberate noxiam piaculo
Furijs nefando. pròh Deorum numina,

Consensione quæ adfuistis crimini,
Cur etiã in vmbras Tartari haud sontẽ datis?
Non arma desunt apta sub claustris Poli.
Tu ignaua tellus, quin dehiscis impia?
Nam quid superstes filijs, noxæ & meæ
Moror? quid aurã, & consciũ video iubar?
Veruntamèn quò triste me rapit malum?
Quodcunque gessi, chara progenies, scelus
Non est volentis; vestra me pepulit salus.
Quin potiùs astra prædicem crudelia,
Quorum dolo conuersa res retrò ruit;
Nam salsa quòd dedere lenem tramitem
Aequora; & adulta nocte Cæsar prodijt
Secessu ab intimo; atquè risere omnia;
Quid tanta Fortunæ, oro, beneficentia
Voluit, nefas ni vt pareret horrendũ, & fidem
Malè auspicatam incogitantum falleret,
Sõs vsquè, grauida & vsquè mõstrorũ mihi?
Iam peperit; aridasquè vestro sanguine
Fauces inundans perditam èxpleuit sitim.
Cui me reseruat vulneri? grauius malum
Excogitari an mole, quam patior, valet?
Inimica vitæ viuere an cogar meæ?

An

An vincla tandem non resoluam tristia?
Certè resoluam; sequitur optantem mori
Prodiga sui mors.

An. *Heu quid, heu quid cogimur*
Audire?

Cho. *Miserâ ò quanta me pietas mouet.*
Sed præda luctus facta iàm nescit modum.
Regina, viue; mors dolorum est maximus;
Nec arguit constantiam, seu pectoris
Velle interire robur.

Agr. *A complexibus*
Nil me hora vestris diuidet nouissima.

Cho. *At herculè præcordijs, vehemens quibus*
Dominatur angor, nulla prosunt pharmaca.

Agr. *Erunt Agrippinæ hìc amata funera;*
His moriar in ceruicibus, vitam quibus
Dedi omine, heu, quàm flebili.

Cho. *Nostrum intimè*
Se quisque metiatur, fortè huiusmodi
Iactata ventis si secaret æquora.
Quin sæpè luctu, sæpè lamentis dolor
Minuitur, imbre vt densa nubes soluitur;
Atquè vtilis solamen admittit mora;

Dum

Dum vomitur omnis exitu effracto lues.

An. *Heu, heu Quirites, mole sic cladis Nurus*
Fathiscit alta, potiùs animam ne vomat
Sit extimendum, gemitus & vitam trahat
Infirmiorem, filo & appensam leui.
En rursùs vt defecit, immota & silet.
Satius putarim prouidere, vt protinùs
Hoc auferatur ominis diri è loco,
Et regias, aut alibi, proùt videbitur,
Curetur intrà ianuas, & auius
Reuocetur ad officia vitæ spiritus.

Cho. *Videte vos, quod expedit; manum lubens*
Adhibebo iusto muneri. Sed regiam
Salubre deuitare consilium reor;
Offensione vt liberati Principis
Præstemus operam languidæ tutò, & probè.
Imò vel ipsa spiritu demùm redux
Matrona non probabit infestum larem.
Augent furorem visa, quęcunque odimus.
Haud hinc remotum limen est ædis meæ;
Hùc commeare, si videtur, possumus.

An. *Si licet, id etiam lubet. at inuerso decet*
Frontem supinam collocare corpore.

Adeste sic Dij adiuuent.

Cho. *Præstò sumus.*

An. *Imago sed quæ est ista iam demortua?*
Heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu, heu.
Inuasit ora terror, & frigus manus,
Lethale vinxit; halitus non est super,
Obstructa quin & labra, quin dentes simùl
Nexi moueri neutiquàm, aut solui queunt;
Nec ipsa costis palpitant præcordia.
Heu, superi, quid iã facimus? extinctæ sumus.
Tuum decus nunc Roma, nunc penitùs ruit.
Heu, heu, heu, heu, heu heu, heu, heu.

Cho. *Sanè videtur anima præduro, & graui*
E' carcere effugisse. fata, heu, perfida,
Quæ gaudium mortalibus mutilum, & breue
Largimini; tormenta, sed larga manu;
Nec finis, omnem donèc iram effunditis.
Quàm falsa nobis, miseræ & huic dudũ malè
Præsaga mens suggessit, ac spes indidit.
Sic laqueo hæremus sæpè, quem tetendimus.
Quod profuturũ remur, id Cælo haud placet,
Ac vergit in formidinem, lapsum, necem.
Quod arbitramur noxium, id conuertitur,

Et

Et sæpè prodest; sed frequentiùs bonum
Fortuna difflat; splendidè in prõptu est malũ.

An. *At ego, Quirites, optimæ viragini*
Vates acerbæ mortis vt melior fui.

Cho. *Seu fracta luctu desijt, seu spiritu*
Vltrò retento; signa ni imprudens malè
Teneo; rarumque mortis iuuenit genus.
Vtcumquè, ne trahantur in Gemonias,
Hoc auferenda est mater infelix solo,
Nec non cruentã filiorum guttura;
Rogo vt superbo nempè si minùs licèt,
Clàm saltem honesto digna condantur loco;
Nec nostra munus triste vitabit manus.

An. *Heu, sancta Princeps, Coniugis sic te tui*
Veneror beato redditam fastigio?
Has, heu, Latina in spes inisti littora?
Et septa Romæ patria, natiuum & Iouem?
Lugete, colles; omnis amissa est fides;
Lugete, vastæ gentium prouinciæ;
Iam cuncta vergunt. tempore at nullo mihi
Tales putaui colligendas sarcinas;
Talesquè fundendas ab oculis lacrymas.
Heu, heu, beatum pondus, Elysiam tuum

Si ſpiritum contingat in requiem ſequi;
Ni potiùs aula te recepit ætheris
Virtute digna, hìc ſpreta quæ fuit, tua.
Cho. *O cæca ſpes mortalium, qui cogitant*
Infirmitatem eludere humanæ indolis.
Turres olympus quaſſat, vt metuant caſæ.
Exempla, quæ non cernimus Romæ? heu nimis
Seu Romuli, ſeu Iulij
Sacrum nepotibus nefas.

FINIS.

DE TRAGOEDIA.

CVr Tragici casus, ac tristis Scena teatri
Alliciant Musas in sua vota meas,
Ne mirare, truces quicunquè hos videris actus;
Naturæ hic vsquè est depereuntis amor.
Desinit in Tragicos, est quicquid vbiquè, labores,
Regna, Duces, populi, mœnia, Templa, domus.
Quid moror? est totus quã vera Tragœdia mũdus;
Ille quidèm flammà depopulante ruet.
Hinc vtinàm rerum vastos damnemus amores,
Et bona discamus quęrere certa Polo.
Quippè bonum æterno certum consistit in vno:
Finiet in Tragicum, plurima quisquis amat.